AZ.

7
C.
36.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
7
C
36

IMMVNITAS
AB ERRORE
TAM SPECVLATIVO, QVÀM PRACTICO
DEFINITIONVM
S. SEDIS APOSTOLICÆ

In Canonizatione Sanctorum; In Feſtorum Eccle-ſiaſticorum Inſtitutione, & in Deciſione Dogmatum, Quæ in Verbo Dei Scripto, Traditoue implicitè tantùm continentur; aut ex alterutro ſufficienter deducuntur

A R. P. IO. BAPTISTA RICCIOLIO
SOC. IESV FERRARIENSI
PROPVGNATA, ET
SANCTISS. D. N. PONTIF. MAX.
CLEMENTI NONO
CONSECRATA.

BONONIÆ M.DC.LXVIII.

Typis Io. Baptiſtæ Ferronij. Superiorum permiſſu.

CLEMENTI

NONO

PONTIFICI MAXIMO

IO. BAPTISTA RICCIOLIVS

SOC. IESV THEOLOGVS.

BEATISSIME PATER.

IN *Pontificia Tua BEATISS. P. Mithra, iam inde à Bonifacij VIII. inſtitutione, triplex refulget ex auro corona; plurimis diues myſterijs, multipliciſq; poteſtatis indicio decora. Ego interim tres in ea ſolidiſſimos, ac rutilantiſſimos veneror* Adamantes; *triplicem videlicet Infallibilem veritatis firmitatem, ab omni errore tam* ſpeculatiuo, *quàm* practico *immunem; nempè in* Canonizatione Sanctorum, *tum in* Feſtorum *pro perſona, aut re Sancta toti Eccleſiæ celebrandorum Inſtitutione; tum deniq;*

in Definitione Dogmatum, *quæ implicitè tantùm in ſacra Scriptura, vel Traditione continentur, ideoq́ in dubium ante Pontificiam Deciſionem reuocari poſſunt, atq́ inter ipſos Catholicos controuerti. Tres hoſce* Adamantes *dixi, Chryſoſtomum imitatus, cui Romanus Pontifex dicitur :* Caput Eccleſiæ Adamantis naturam firmitate ſuperans: *imo vt habetur in 6. Synodi Conſtantinop. Proſphonetico ad Conſtantinum Imperatorem, S. Damaſus Papa dictus eſt :* Adamas fidei, cuius ſolida mens aggreſſionibus, atq; conflictu alienæ à fide opinionis non eſt vulnerabilis. *Sic demum Martinus I.* Spiritualis Pater adamantinus, Sacerdotumq́; princeps, *eſt appellatus ab Anonymo in Epiſt. ad Occidentales.*

Hom. l. 55 in Matt.

Ex Collectan. Anaſtaſij fol. 33.

At ternos hoſce Adamantes *in vitreas gemmas, ideoq́ non gēmas, ſed fragilitatis ludibrium commutare auſus eſt non nemo, aſſerendo, & typis vulgando, Romanum Pontificem in tribus prædictis caſibus, non poſſe quidem* Practico errore *falli, aut Eccleſiam in* errorem practicum *inducere, ſi iuxta allegata, & probata de huiuſmodi ſententiam ſuam ex cathedra tulerit; poſſe tamen* ſpeculatiuo errore *falli, & Canonizare, aut Feſto vniuerſali colendum præcipere hominem, qui coràm Deo Sanctus non ſit, ſed damnatus ad Inferos, & in decidendis dogmatibus, quæ nec in verbo Dei Scripto Traditonè expreſsè continentur, nec ab expreſsè ibi contentis per euidentem ſyllogiſmum deduci queunt, poſſe illum* ſpeculatiuè errare, *& proponere aliquid de Fide credendum, quod in oculis Dei falſum ſit. Exhorrui fateor Beatiſs. P. cum S. Bonauent. his lectis; & zelo zelatus pro authoritate Domni Domus Dei, ne zelus non eſſet ſecundùm ſcientiam, ſcrutatus Scripturas, earumq́ Interpretes, Pontificum decreta, Concilia, Patres; reperi in prædictis caſibus, non* vitream *eſſe, ſed* Adamantinam *Succeſſoris Petri Infallibilitatem, prorſuſq́ immunem ab omni periculo* erroris ſpeculatiui, *nedum* practici, *neq́ vllo fundamento ad practicam tantummodo infallibilitatem, aut ad expreſſa*

in

in verbo Dei dogmata reſtringi poſſe promiſſiones CHRISTI, quibus pollicitus eſt per Spiritum Sanctum; docturum ſe Eccleſiam omnem veritatem, *nec potuiſſe non exaudiri pro ſua reuerentia, quando orauit* pro Simone, vt non deficeret fides eius, *& aſſeuerauit*, portas Inferi nunquam præualituras aduerſus Eccleſiam ſuper iſta petra fundatam. *Præualerent autem non minimè, ſi poſſent ſpeculatiuo aliquo errore in materia Fidei, & Religionis decipere Romanum Pontificem, ex Petri cathedra docentem, ac definientem.*

Sanè ſi ſuſpicari vnquam liceret, Sum. Pont. in huiuſmodi negotijs corā Deo falli poſſe, quomodo Eccl. Dei viui *ſuper baſi Petri fundata diceretur* Columna, & firmamentum veritatis? *aut iſta Sedes agnita eſſet à D. Chryſoſtomo* Baſis fidei immobilis, *aut à Baſilio Imperatore in Encyclica poſt* 8. *Synodum:* Columna incorrupta Eccleſiarum? *Epiſcopi verò Ægypti cum S. Athanaſio ad Felicem, & Sergius Cyprius ad Theodorum Papam, miro conſenſu Summum Pontificem dixere* Firmamemtum à Deo fixum, & immobile, formamq; lucidiſſimam fidei diuinitùs conſtitutam. *Proinde S. Ambroſius ſcitè concluſit.* In Petro igitur Petra, ſiue firmamēto Eccleſiæ ſumma ſecuritas inuenitur: *Si ſumma, ergo excludens omnem de ſpeculatiua falſitate ſuſpicionem.* 1. Timoth. 3. Hom. de Petro, & Elia, & 2. in pl. 50. Ex Cōcil. Later. ſub Martino 1. Super Euāg. Marci.

Hac nimirum ſecuritate nixus Sanctiſſimus Agatho Papa, loquens de promiſſionibus CHRISTI ait; Cuius adnitente præſidio, Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. *Et in hoc ipſo Agathone ſexta Synodus Generalis agnouit Petrum dictantem dicens:* Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. *Ex hac quippe petra ſcatet Fons verè illimis, ac ſyncerus, iam inde à principio vera fidei, vt profitetur Theodorus Studita ſcribens ad Paſchalem Papam, vt meritò Ioannes VIII. de hac loquens aſſeruerit:* Aqua nunquam poteſt alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte, Epiſt. ad Cōſtantinū 4. Imp. Act. 17. Lib. 1. Ep. 13. Epiſt. 76.

vnde originem protrahit, inueniri: ita & fides nunquam omninò poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, ſicut in Eccleſiæ noſtræ viuario.

Epiſtola ad Orientales.

Iſte ipſe fons lucis eſt, teſte Maximiano Epiſcopo Conſtantinopolitano. Omnes *inquit*, fines terræ, qui Dominum ſyncerè receperunt, in poteſtatem Romani Pontif. tanquam in Solem reſpiciunt, ex ipſo lumen recipientes: vt quiſquis diuinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamquè recurrat. *Abſit enim vt teleſcopia vlla, vel minimam fidei maculam in iſto Sole deprehenderint; Eſt enim, vt aduertit Theod. ad Cardinalem Renatum*: Sedes Sanctiſſima omnem per Orbem Eccleſiarum ducatum multis quidem de cauſis habens, præcipuè verò, quòd hæretica à labe immunis permanſit. Et nullus, qui contraria ſenſit veritati in illa vnquam ſedit, ſed Apoſtolicam gratiam integram, & immaculatam ſeruauit: *Quod enim* Sedes Apoſtolica, nulla prorſus contagione maculetur; *vt aſſerit Gelaſius I. ratio eſt, quam ibidem ſubiungit.* Nam ſi (quod Deus auertat, ac fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proueniret, vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori? *Poſtremà CHRISTI oraculum ſeptēdecim propè ſeculorum veluti ſigillo firmatum admiramur, gratulamurq́; ſiquidem ex ducentis triginta ſeptem Summis Pontificibus, qui Cathedram iſtam inſedere, nemo hactenus quidquam contrarium Fidei, aut Religioni docuit, aut ſenſiſſe deprehenſus eſt; quidquid per calumniam, aut ignorantiam iuris, vel facti, in contrarium aliqui ſcripſeriat. Quo priuilegio nulla Patriarchalis Eccleſia olim, ac ne ipſa quidem omnia Concilia gauiſa ſunt, quandiù Romani Pontificis influxu, ac directione caruerunt: Non enim Apoſtolorum cœtui, quem tamen à* Satana cribrandum fore, vt triticum *pradixit Saluator noſter, ſed vnicè, ac ſingulariter Simoni Petro dictum fuit*: Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

Epiſt. 116.

Epiſt. 8. Ad Anaſt. I. np.

☞

Lucæ 22.

Ha-

Hactenus indicata per nos de Sanctiſſimæ iſtius Sedis abſoluta infallibilitate SANCTITATI TVÆ peculiari titulo accepta fore non dubito, non ſolùm quod ad Canonizandos quoſdam Sanctos accingeris; Sed quia inter triginta quatuor Summos Pontifices, qui Deiparæ Immaculatæ Conceptioni maioribus in dies fauoribus ſuffragati ſunt, TV deuotione inſigni ergà hoc Myſterium, Octauæ incremento locupletatum, & declaratio Alexandri VII. Prædeceſſoris Tui, Præſeruationem Deiparæ ad ſupremum definibilitatis gradum euexiſtis: vt locupletiſſimis Auctoritatibus, & luculentiſſimis argumẽtis in meo de hoc argumento Opere, demonſtratum exiſtimo. Sicut in alio tractatu diſcuſſis omnibus D. Thomæ Aquinatis locis, oſtendi, eum ſub triplici reſeruatione ſuam de hac præſeruatione ſententiam ſuſpendiſſe, paratumq́ illi ſubſcribere, ſi verificaretur Deiparam Redemptam fuiſſe à peccati originalis actuali incurſu; Et Romana Eccleſia, Feſtum Conceptionis huius non toleraret ſolùm, ſed inſtitueret, vel approbaret; Et intentio Eccleſiæ, ac Romanorum Pontificum in hoc Feſto celebrando eſſet, non de Sanctificatione à peccato iam contracto, ſed de Præſeruatione à peccato incurrendo. Has tres conditiones adimpletas noſtris temporibus iam videt Eccleſia: proinde in meo illo Tractatu concluſi, punctum hoc ex intentione Angelici Doctoris definiri poſſe, ac primum inſtans, quo Deiparæ anima rationalis creata, & infuſa corpori fuit, Canonizari poſſe: Si quando DEVS O. M. Sanctæ iſti Sedi decreuerit inſpirandum. Ego interim, poſt Sanctiſſimi Pedis oſculum, quo licet abſens veneror Maieſtatem in TE ſupremam Eccleſiæ; ſupplex oro, vt opuſculũ hoc meum, tanquam infantem protectione TVA fouere non digneris, eaq́ inſigni charitate aſpicere, ſi non complecti, qua Noſocomia ſubinde inuiſere conſueuiſti, & tanta liberalitate pauperibus erogare, vt non enarratura ſit ſolùm, ſed iam

Eleemoſynas Tuas enarret omnis Eccleſia Sanctorum.

Facultas R. P. Io. Iacobi Vicecomitis Prouincialis Soc. Ieſu in Prouincia Veneta.

CVm Tractatum P. Io. Baptiſtæ Ricciolij Soc. noſtro Sacerdotis, de Immunitate ab Errore, tam ſpeculatiuo, quam practico Definitionum S. Sedis Apoſtolicæ, in Canonizatione Sanctorum, in Feſtorum inſtitutione Eccleſiaſticorũ, & Deciſione Dogmatum, quæ in verbo Dei Scripto, Traditouè explicitè, aut implicitè continentur, Tres ex Societ. noſtra Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint. Nos quoq; facultate nobis facta à R. P. N. Io. Paulo Oliua Soc. Ieſu Præpoſito Generali, concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita illi, ad quos pertinet, iudicauerint. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtri Officij munitas dedimus.

Bononiæ die 7. Septemb. 1667.

Io. Iacobus Vicecomes.

Locus ✱ Sigilli.

D.Carolus Gorranus Metropolitanæ Bonon.Pœnitentiarius pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.D.Hieronymo Boncompagno Archiepiſc. & Principe.

Imprimatur.

Fr. Io. Vincentius de Paulinis Sac. Theol. Magiſt. Inquiſitor Generalis Bononiæ.

INDEX
Librorum, & Capitum.

LIBER PRIMVS.

DE *Abſoluta Infallibilitate Definitionum S. Sedis Apoſtolicæ, Romanique Pontificis, in Canonizatione Sanctorum.* *pag.* 1.

CAPVT I.

Recenſentur Opiniones Catholicorum Scriptorum de certitudine Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum à S. Sede Apoſtolica per Summum Pontificem Canonizatorum. *Ibidem.*

CAPVT II.

In quo adducuntur ſelecta formulæ ex Bullis Canonizationum, pro Infallibilitate abſoluta, & certitudine Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum Canonizatorum à S. Sede Apoſtolica. 24

CAPVT III.

Infallibilitas Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum à S. Sede Apoſtolica Canonizatorum abſoluta, & de Fide credibilis oſtenditur Duodecim Argumentis, deductis ex Intentione Summorum Pontificum, & Formulis Canonizandi Capite II. relatis. 46

CAPVT IV.

Decem alia Argumenta producuntur pro Infallibilitate Abſoluta, & credibilitate de Fide Sanctitatis, & Gloriæ Canonizatorum à S. Sede Apoſtolica. 56

Ca-

CAPVT V.

In quo ſoluuntur Obiectiones contra Infallibilitatem Abſolutam Sanctitatis, & Gloria Sanctorum à S. Sede Apoſtolica Canonizatorum. 74

CAPVT VI.

In quo ſoluuntur reliqua præcipuè Quæſtiones de Abſoluta Infallibilitate Sanctitatis, & Gloria Sanctorum à S. Sede Apoſtolica Canonizatorum. 91

LIBER SECVNDVS.

De Inſtitutione Feſtorum per Sanctam Sedem Apoſtolicam in tota Eccleſia celebrandorum, Immuni ab Errore tam Speculatino, quàm Practico. 99

CAPVT I.

Recenſentur breuiter Opiniones Catholicorum in hac controuerſia. Ibid.

CAPVT II.

Auctoritatibus probatur Abſoluta Infallibilitas Sanctitatis Perſonæ, vel rei, in cuius honorem Inſtitutum ſit à S. Sede Apoſtolica, vel approbatum Feſtum in vniuerſa Eccleſia celebrandum. 102

CAPVT III.

In quo afferuntur Argumenta pro Infallibilitate Abſoluta Sanctitatis Perſonæ, vel rei in cuius honorem Inſtitutum fuerit, vel approbatum Feſtum à Summo Pontifice Romano, in tota Eccleſia celebrandum. 113

CAPVT IV.

Obiectionum Solutio. 119

Li-

LIBER TERTIVS.

DE. *Abſoluta Infallibilitate Definitionum S. Sedis Apoſtolicæ in Deciſione Dogmatum, quæ in Verbo Dei Scripto, Traditione ſiue explicitè, ſiue implicitè tantùm continentur.* 123

CAPVT I.

Explicatur Status Controuerſiæ, & Opinio quorundam Catholicorum Scriptorum. Ibid.

CAPVT II.

In quo producuntur Selecta Authoritates pro Tertia Sententia numero 3. expoſita in præcedenti Capite. 127

CAPVT III.

Afferuntur Argumenta pro Tertia Sententia num. 3. capitis primi expoſita. 141

CAPVT IV.

Producuntur Exempla ſelecta Definitionum Eccleſiæ à S. Sede Apoſtolica emanatarum, vel approbatarum, quibus confirmatur Tertia Sententia num. 3. cap. 1. expoſita. 147

CAPVT V.

In quo Diluuntur præcipua obiecta contra Tertiam Sententiam num. 3. cap. 1. Expoſitam. 158

Liber I.

LIBER PRIMVS.

De Abſoluta Infallibilitate Definitionum S. Sedis Apoſtolicæ in Canonizatione Sanctorum.

CAPVT I.

Recenſentur Opiniones Catholicorum Scriptorum de certitudine Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum à S. Sede Apoſtolica per Summum Pontificem Canonizatorum.

1 P*Rima* Opinio quorundam Catholicorum (de Sectarijs enim, & Hæreticis, canina rabie in Romanum Pontificem ringentibus, fruſtraq; ipſius Decretis, quantumuis in Cœlo obſignatis, allatrantibus; nihil in hoc opere ſolliciti ſumus:) fuit, Romanum Pontificem, quantumuis legitimum D. Petri Apoſtoli ſucceſſorem, CHRISTIQVE Vicarium, in Canonizatione Sanctorum, & Inſtitutione Feſtorum, non poſſe quidem errare *moraliter*, nec Eccleſiam inducere in *errorem practicum*, ſaltem quando vſus fuerit debita, & matura diligentia per ſe, aut per alios, in examine vitæ, ac Miraculorum earum Perſonarum, quas canonizauit, aut in quarum honorem Feſtum cum Officio, Miſſaq; inſtituit; Poſſe tamen errare *Metaphyſicè*, & Eccleſiã inducere in *errorem ſpeculatiuum*, ſeu errare ipſum, & Eccleſiam *ſpeculatiuè* poſſe; ita vt veneretur pro Sancto, Feſtoq; die Officio, & Miſſa colat aliquem, quà coràm Deo, nec Gloria Viſione, & beatifica fruatur, nec ſaltem finali in Sanctitate, ſeu in Gratia ſanctificante defunctus, detineatur in Purgatorio: Ita inter paucos.

2. *B. Auguſtinus Triumphus* Anconitanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Opere de poteſtate Eccleſię q 14. ar. 4. inquit — Auguſtinus de Ancona.

inquit

inquit enim: *Papa ergo canonizando aliquem Sanctum, ſecundùm præſentem iuſtitiam non errat, quia ſic credit eum eſſe Sanctum, vt informationem recepit, ſecundùm allegata, & probata ſibi*. Ad quod firmandum profert S. Auguſtinum Epiſt. 35. ad Seuerum Abbatem Tomo 2. dicentem: *Qui enim ſic credit, vt loquitur, etiam ſi falſa loquatur, fideliter loquitur*. Vnde mox deducit Triumphus hanc concluſionem: *Quantumcunq; ergo Papa non vera approbet canonizando, vel approbando aliquem Sanctum, ex quo fideliter, & verè approbat ſecundùm informationem ſibi factam, non errat*.

Hoſtienſ. Io. Andr. Gloſſa. Felin. 3. *Hoſtienſis* in cap. 1. *De reliquijs, & veneratione Sanctorum* vetſu Sedis Apoſtolicę lib. 6. ibidemq; *Ioannes Andreas*, & Gloſſa in cap. vnico, eodem titulo admittunt, poſſe Pontificem errare in canonizatione Sanctorum, limitando tamen, ac dicendo; *licet non ſit credendum, quod erret, licet poſſit contingere*. Hanc Gloſſam ſequitur Felinus in C. venerabili de teſtibus, vbi dicit Chriſtum oraſſe pro Petro, vt non deficiat fides Petri, & ne poſſit errare ſolùm in articulis fidei, & adducunt textum in Cap. *à nobis* l. 2. de ſentent. excomm. vbi dicitur, *quòd iudicium Dei nunquam fallit, nec fallitur, iudicium verò Eccleſiæ ſecùs*.

Caietan. 4. *Thomas Caietanus* S. R. E. Cardinalis in Opuſculis Tractatu xv. de Indulgentijs Cap. 8. §. *ad id verò*, ſoluens obiectionem ſumptam, ex authoritate veritatis Eccleſiæ, ait inter cætera: *Eccleſia rationabiliter præſumit pro dante Indulgentiam, vtpotè Iudice. Præſumitur enim de Iure pro Iudice ſemper, niſi manifeſtè appareat error, & ſupponens ex cauſa legitima datam tantam Indulgentiam veritatem prædicat, ſicut abſq; falſitate prædicat talem Sanctum, ſupponens illum ritè canonizatum. Ita quod, dato quod iſte canonizatus non eſſet Sanctus, ſed damnatus, Eccleſiæ doctrina, aut prædicatio non eſſet mendax, aut falſa; Quia hic non pertinentia ad fidem, non intelliguntur affirmari, & prædicari, niſi cum grano ſalis,*

ſalis, hoc eſt ſtantibus communiter præſumptis. Præſumit enim Eccleſia Canonizationem ritè factam, & ſimiliter Indulgentiam ritè datam, & ſic prædicat Indulgentias valere quantum ſonãt: ſed ſicut poteſt interuenire error humanus in Canonizatione alicuius Sancti (vt S. Thomas dicit) ita poteſt interuenire error humanus, in collatione Indulgentiæ. Si quis autem putet Romanum Pontificem non poſſe errare in iſtis particularibus actionibus (quales ſunt diſpenſationes bonorum tam temporalium, quam ſpiritualium Eccleſiæ) putet quoq; ipſum non eſſe hominem.

5. *Melchior Cano* Epiſcop. Canarienſis libro 5. de locis Theologicis Cap. 5. q. 4. Concl. 2. dicit. *Non eſt hæreticum credere Eccleſiam hominibus in diuos referendis errare poſſe.* Sed Concl. 3. plus vltra ſe extendit, dicendo. *Animaduerſione digniſſimum eſt, certa, & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis, & firmis principijs, ac fundamentis innitantur. Quocirca, ſi vel vnum ex his, à quibus Eccleſia iudicium pendet, incertum eſt, certum Eccleſiæ decretum eſſe non poteſt: ſiue quæſtio ſpeculatiua ſit, ſiue practica ſit. Concluſio quippe, vt in Dialecticorum prouerbio eſt, debiliorem partem ſequitur, &c. Quæ ex re facilè intelligitur, Eccleſiæ iudicia, quæ ab incertis hominum teſtimonijs proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam, & exploratam faciendam fidem. Quale illud eſt, quo Sãctum aliquem Diuorum catalogo adſcribendum cenſet. Nec tamen impunè licet huiuſmodi decreta in dubium reuocare; quin temerarium, & irreligioſum eſſet in Diuis conſecrandis Eccleſiæ abrogare fidem.* Videtur tamen hic Auctor, aut ſeipſum corrigere, aut parum cohærenter loqui, dum contendendo temerè, & inconſideratè facturum, & ab Eccleſia puniendum eſſe illum, qui Sanctitatem Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, &c. in quæſtionem vocaret, ſubiungit. *Quodſi viris iuſtis in Diuorum catalogum reponendis Eccleſia errat, nimirum non eſſet valde abſurdum, Diuorum omnium cultum*

Melchior Cano.

ab Eccleſia explodere, eorum qui poſt Clementem conſecrati ſunt. Quo quid, aut ſtultius, aut impudentius dici poteſt? Item multum refert ad communes Eccleſiæ mores, ſcire quos debeas religione colere; quare ſi in illis erraret Eccleſia, in moribus quoq; grauiter falleretur. Nec differt diabolum colas, an hominem condemnatum, & argumentatur à pari ſic. *Atqui ſi Eccleſia abſtinentiæ legem rogaret, quæ vel rationi, vel Euangelio aduerſa eſſet, turpiter profectò ab illa erraretur: turpiter ergo etiam errabit in doctrina morum, ſi legem ferat de colendo Diuo, quem colere, ſi Diuus non eſt, & cum ratione, & cum Euangelio pugnat. Ne igitur tantus error in Eccleſia ſit, Deus peculiariter prouidere credendus eſt, ne Eccleſia, qualibet hominum teſtimonia ſequatur, in Sanctorum canonizatione erret. Cuius peculiariſſimæ prouidentiæ abundè magnum argumentum eſt, quod nunquam infirmata eſt fides, ab humanis teſtibus ſemel in huiuſmodi iudicijs ſuſcepta. Quod in cauſis ciuilibus ſæpè accidit.* Aurea ſunt hæc dicta à §. *Atqui ſi,* ſed per hæc corrigenda ſunt dicta priora à §. *Animaduerſione,* vbi Eccleſiæ iudicia infirma eſſe ad faciendam fidem dixit, quia ab incertis hominum teſtimonijs proficiſcuntur; nam ſi rationi & Euangelio non repugnamus; Deus prouidentiam ſuam obligauit, ne permittat Eccleſiam in huiuſmodi definitionibus tam turpiter errare, vt damnatum ad Inferos colat pro Sancto, idq; de mandato Romani Pontificis.

Raynaudus.

6. *Theophilus Raynaudus* Tomo x. in Coronæ aureæ Romani Pontificis Epilogomenis Veritate 8. poſtquam dixit, *Quæ verò ne implicitè quidem, aut virtualiter ſunt reuelata, ita vt poſſint certò, & euidenter erui ex propoſitionibus immediatè reuelatis, non poſſunt de nouo ab Eccleſia reponi inter dogmata fidei. Vnde quòd aliquis extra eos, qui in Scripturis, aut verbo tradito Sancti memorantur, ſit cælo illatus poſt obitum, non poteſt Pontifex, tanquam ex fide certum proponere; Cum aſſertio beatitatis eius pendeat ex vno ſyllogiſmo, cuius*

minor

minor propoſitio (nempe: iſte Sanctè obijt) ſolis humanis teſtimonijs poteſt eſſe comperta Pontifici, quod pugnat cum aſſenſu fidei praſtando ei aſſertioni. Soluens deinde obiectionem dicentium, niſi ſit de fide Sanctum canonizatum eſſe reipſa Sanctum, *fore vt vniuerſa Eccleſia erraret,* ſubiungit *vt enim Eccleſia non erret, & vere religioſum cultum, ex prudentiali dictamine deferat Sancto vindicato, Satis eſt, vt pium ſit, ac probabile eum, qui colitur, talem eſſe. Nam tametſi reipſa non eſſet beatus, tamen abeſſet à delatione cultus error practicus, eo ipſo quòd intellectus colentis prudenter iudicaret, eum quem ex Pontificis oraculo veneratur, beatum eſſe; quamuis ei iudicio ſubeſſet error ſpeculatiuus, qui cum practica veritate iudicij prudentialis non pugnat.* Sentit ergo Raynaudus, non ſolùm non eſſe de fide Sanctos canonizatos, eſſe reuera Sanctos (quod non pauci pro 2. opinione adducendi ſenſerunt) ſed inſuper eſſe poſſibile, aut non fore inconueniens, ſi Eccleſia errando ſpeculatiuè, coleret pro Sancto, vtpote canonizato aliquem, qui reipſa, & coràm Deo eſſet damnatus ad Inferos. Eandemque doctrinam inculcat Tomo xv. in Heteroclitis ſpiritualibus Sectione 3. ſub titulo: *Proba certa Sanctitatis*; eadem argumenta, & ſolutiones eaſdem obiectorum repetens; ſed vtrobiq; adducens quoſdam, qui non ſtant pro hac opinione, ſed pro 2. aut 3. infra referendis, ſi in fonte (vt nos præſtitimus) legantur eorum placita.

7. *Vincentius Baronius* Ord. Prædicatorum Parte 2. Manuductionis ad Moralem Theologiam diſp. 2. ſect. 2. Paragrapho 2. ſubſcribit non ſolum Cano, ſed etiam Caietano, & ait ſufficere ſi Pontifex in Sanctorum inauguratione vtatur, *longè infra diuinam maiori prudentia, & aquitate, poſt exactam diſquiſitionem de Sanctitate Diui à miraculis alijſque teſtimonijs, quàm iudices quiq; ſapientiſſimi ad pœnam damnantes reum confeſſum, & conuictum.* Et paulò ante dixerat de Summis Pontificibus. *Cum viros opinionum ſanctitate* Vinc. Bar.

floren-

florentes Diuis accenſent, vbi infinita facti quæſtiones occurrunt dirimenda iudicio potiùs, quàm ex ſcriptura, aut traditione. Et parte 4. lib. 1. ſect. 2. Paragrapho 2. non ſolùm cum aliquibus negat eſſe de fide Sanctos eſſe eos, qui decreto Pontificio in Diuorum album referuntur; ſed addit *Id non pertinere ad certam ſpeculatiuam veritatem; ſed ad practicam tantum, & ad affectum pietatis, ad quem ſatis eſt probabilis, & prudens ratio, licet euidentia, & omnimoda certitudo deſit.*

Driedo. Similia docuit Io. Driedo l. 4. de Dogmatibus C. 1. concludens *Quòd qui piè de Eccleſia ſentit, perniciosè non ſinitur errare, etiamſi forſitan Sanctũ eſſe credat, qui non Sanctus foret.*

Secunda Opinio.

8. SEcunda Opinio eſt, Summum Pontificem Romanum in Canonizatione Sanctorum abſolutè errare non poſſe, eo quòd non innitatur vnicè, aut præcipuè teſtimonijs humanis, ſed potiſſimùm aſſiſtentiæ Diuinæ in rebus ad Fidem, ac Religionem ſpectantibus, in Euangelio ipſi non ſemel promiſſæ. Sed huius opinionis Auctores, aut non diſquirunt, an ſit de fide Sanctos canonizatos eſſe reipſa Sanctos, & Gloria viſionis beatificæ frui, aut expreſsè negant eſſe de fide. Non conuertuntur enim inter ſeſe, infallibilis veritas, & veritas de Fide Theologica; multæ ſi quidem propoſitiones lumine naturali notæ, aut demonſtratæ, ſunt infallibiles, nec tamen ſunt de fide: ſed neque concluſio Theologica ex duabus propoſitionibus de Fide credendis deducta, aut ex vna de Fide, & altera naturali lumine euidenti per legitimum diſcurſum illata, quatenus concluſio, eſt de fide, immo neque vt propoſitio ſic virtualiter reuelata iuxta quoſdam Theologos eſt de fide: & tamen vtraq; eſt abſolutè infallibilis, & omninò immunis ab errore tàm ſpeculatiuo, quàm practico. Videtur igitur ſtare poſſe, vt non ſit de fide Sanctos canoni-

Notabilis aduertentia.

zatos,

zatos, eſſe reuera Sanctos, & tamen hoc ſit infallibiliter verùm, vi huius diſcurſus Theologici: *Quos Summus Pontifex Romanus ex Cathedra, ſeu ſede Apoſtolica definit eſſe Sanctos, illi reuera, & infallibiliter Sancti ſunt; ſed Summus Pontifex Romanus, ex Cathedra ſeu ſede Apoſtolica definiuit Bonauenturam S. R. E. Cardinalem, Sanctum eſſe; Ergo Bonauentura S. R. E. Cardinalis reuera, & infallibiliter Sanctus eſt* & ſic de ſimilibus.

S. Thomas eumq; ſecutus *S. Antoninus*, adducuntur ab aliquibus pro hac opinione, immo Raynaudus non dubitauit illum producere pro prima opinione, ſed nos probabilius illum proferemus pro noſtræ tertiæ opinionis claſſe prima.

9. *Ioannes Gerſon* in fine opuſculorum, tractatu de admirabili victoria cuiuſdam puellæ pugnantis pro Francis contra Anglos, hæc habet: *Ita enim fuit in canonizationibus Sanctorum primarijs, quales canonizationes, vt in pluribus, quæ leguntur non ſunt de neceſſitate fidei ſtrictè loquendo, ſed de pia deuotione, quæ non eſt paſſim per quoslibet reprobanda &c.* Gerſon.

Thomas Vualdenſis in Doctrinali Fidei Tomo 3. Titulo 14. C. 122. contra Vuichleffum oblatrantem curiæ Pontificiæ, & proceſſibus ab ea ante canonizationem præmiſſis, & dictitantem. *Videtur multis, quod curia iſta ſic canonizans Sanctos, blaſphemiæ præſumit crimen: cum ſubducta reuelatione, tam planè ignoret, vt Ioannes presbyter, vel Soldanus.* Reſpondet Vualdenſis. *Videte ſtultitiam primò, quod ſupponit reuelationem in proceſſu ſubductam, vbi totius proceſſus ſollicitudo eſt, vt reuelatio habeatur tam diuinitus per iuges preces, & ieiunia, quàm item humanitus per teſtes.* Supponit hic ergo interuenire in hoc negotio reuelationem diuinam, adeoq; infallibilitatem. Deinde cum Vuitcleffus dixiſſet cum teſtimonijs de Sanctitate alicuius, ſtare poſſe quod vſque ad mortem fuerit hypocrita, & præſcitus, reſpondet his verbis: *Falleris Vuitcleff contra ſuppoſitum proprium de notitia veri-* Vualdenſis.

tatis canonizandi detecta Papæ fideliter ſine mendacio: repugnat nanque quòd conuerſatio Sancti fuit facta, detectaq; vſq; ad notitiam veritatis fideliter, & ſine mendacio Papæ, & quod ille dictus vſque ad mortem fuit hypocrita, & præſcitus. Supponit ergo ſtante Diuina prouidentia, non poſſe eſſe non Sanctum eum, de quo Papæ poſt ſufficiens examen conſtiterit eſſe Sanctum, & paulò infrà: *Si eſſet catholicus Vuitcleff, ſi filius pacis Eccleſiæ, non ſupponeret præſcitos eſſe (ideſt poſſe eſſe) quos canonizat Eccleſia.*

Cordub. 10. Antonius Cordubenſis lib.4. Quæſt Theol.q.12. Reſpondet: *Mihi autem dicendum videtur, quòd neque Papa, neque Concilium generale in canonizando aliquem Sanctum ſi faciat quod in ſe eſt, errare poteſt: & oppoſitum dicere certè temerarium, & impium eſt, quamuis non hæreticum, nec hæreſim ſapiens ſit.* Et in reſponſione ad ſecundum, vtrum aliquis, Sanctus canonizatus ſit, aut eſſe poſſit in Inferno reſpondet. *Quod non, immò, & id dicere temerarium, & impium inſuper, & ſapiens hæreſim, non tamen hæreticum cenſeo.* In ſolutione autem obiectionum inquit. *Licet per teſtimonia hominum inquirat Eccleſia de Sanctitate, & miraculis, vt ita faciat quod in ſe eſt; non tamen illis tantum innititur, ſed præcipuè illuminationi diuinæ interiori, eiusque aſſiſtentiæ ſpeciali & ita non certum de fide, ſed de pietate, & probabilitate magnæ fidei eſt, quod Eccleſia in canonizatione Sanctorum errare non poteſt*

Alij 17. Authores Hérquez Caſtel. Roch. Maldecus Io.a S Th. Paramo Caſtillo Signius Holanus

11. Sed ne prolixior ſim in recitandis authorum verbis in hac, de qua diximus opinione verſantur Herincus Henriquez in ſua ſumma l.5.c.16. in gloſſa, Iacobus Caſtellinus de Canonizatione Sanctor.q 9.a.3. licet §. incontrarium videatur propendere in opinionem 3. de qua infra. Angelus Rocha de canonizatione Sanctorum c.39. & 40. Malderus in 2. 2. dub. 6. prop 4. & diſp. 4. de Pontif. prop.4. Ioannes de S. Thoma in 22. diſp.9.a.2. Bannes ibi q.1.nu.10.dub.7 Ludo-

uicus

uicus de Paramo l. 4. de origine Inquiſitionis q. 5. num. 184. Fragoſus
Franciſcus de Caſtillo lib. 3. ſent. tomo 2. diſp. 16. q. 8. n. 25. Granado
Io. Baptiſta Signius de Reliquijs c. 4. Iſidorus de Iſolanis lib. Contel.
2. de Imperio militantis Eccleſiæ tit. 6. q. 3. Baptiſta Frago- Turrian.
ſus tom. 2. de Regim. Chriſtianæ Reipub. d. 1. nu. 29. Iaco- Serarius
bus Granado de Fide tract. 7. diſp. 3. ſect. 3. à num. 5. ad 24. Suarez
negans eſſe de fide, quia eſt quæſtio facti; Felix Contelorus Vaſquez
in additionibus ad Caſtellinum, de quo infra; Luyſius Turrianus diſp. 16. de Fide dub. 3. ita tamen vt oppoſitum neget eſſe hæreſim; Serarius lib 2. Litaneuticon q. 11. Suarez tract. primo de Fide d. 5. ſect. 8. docens temerariũ eſſe oppoſitum, & lib. 2. contra Regem Iacobum cap. 8. nu. 19. & Vaſquez in 1. 2. diſp. 165. nu. 94. ſed quia Suarez, & Vaſquez magnifiunt ab aliquibus, non grauabor eorum verba in hanc rem ſeligere.

12. *Suarez* itaq; in Defenſione fidei Catholicæ aduerſus Anglicanæ ſectæ errores lib. 2. cap. 8. Regi Iacobo reſpondens inquit: *Cultus, quem Eccleſia præbet alicui Sancto in Scriptura non canonizato, nõ fundatur in quauis humana hiſtoria etiam graui, ſed fundatur vel in antiqua traditione, cum vniuerſali totius Eccleſiæ cõſenſu, vel in authentica Põtificis declaratione, quam canonizationem vocamus, quæ tanto morum, & miraculorum examine, & tam graui inquiſitione, ac diligentia fit, vt ipſa per ſe poſſit moralem quandam certitudinem, ac ſecuritatem conferre: adiuncta verò Spiritus Sancti aſſiſtentia, & gubernatione, quam credimus à Chriſto eſſe promiſſam, fit certitudo longè maior, quæ omne morale periculum, omnemq; prudentem dubitationem excludit.* In primo autem tractatu de Fide diſp. 5. ſect. 8. nu. 8. ex dictis à ſe de infallibili regula fidei, quæ eſt Summus Pontifex, etiam ſine Concilio, deducit hoc 2. Corollarium: *Secundo infertur, non poſſe errare Pontificem in Sanctorum Canonizatione, vt rectè docuit D. Thomas quodlib. 9. S. Antonin. &c. Ratio verò eſt,*

 quia

quia hæc eſt pars quædam materiæ moralis; & valdè neceſſaria, vt Eccleſia non erret, in cultu, & adoratione Religionis: aliàs contingere poſſet, vt coleret hominem damnatum, & ad illum preces funderet; quod eſt etiam contra puritatem, & Sanctitatem Eccleſiæ; Item non licet fidelibus dubitare de gloria Sancti canonizati: id enim ſub præciſa obligatione præcipiunt Pontifices in ipſa canonizatione: ergo oportet, vt illi præcepto non poſſit ſubeſſe error; aliàs deficeret Deus in re maximè neceſſaria Eccleſiæ, quod eſt contra prouidentiam, & promiſſiones eius: & ideò quamuis hæc illatio non ſit de fide, cenſeo eſſe ſatis certam, & contrariam eſſe impiam, ac temerariam. Hæc Suarez, qui tamen tom.4. de Religione l.3.c.4. coroll. 2. putat de fide eſſe tria vota ſimplicia Societatis noſtræ, eſſe ſubſtantialia Religionis.

13. *Gabriel Vaſquez* tom 2. in pr. 2. S. Thomæ diſput. 165. Cap. 9. poſtquam dixerat Gregorium XIII. in extrauagante *Aſcendente Domino* definiuiſſe tria vota ſimplicia, quæ in noſtra Societate nuncupant, poſt biennium nouitiatus Scholares, & ſuo tempore Coadiutores formati, ſufficere vt ſint verè, & propriè Roligioſi, eoſq; improbauerat, qui negabant eſſe id de fide, putantes Pontificem eodem modo ſe habere in hac definitione, ſicut in approbatione Religionis; ſubiungit num.94. hanc diſparitatem. *Quis enim non videat diuerſam eſſe definitionem, qua Pontifex declarat aliquem eſſe Sanctum, & Sanctè vixiſſe in Eccleſia Dei, ſeu approbat regulam Religionis, tanquam conuenientem præſenti tempore; & qua declarat definitq; doctrinam ad ſtatum Religionis, aut ad mores in vniuerſum pertinentē? Nam, vt definiat hunc hominem, aut illum Sanctè vixiſſe, nō habet principium aliquod de fide nempe aut ſcripturam, aut Traditionem, ſed ſolum humanum teſtimonium, & ideo Pontifex non cenſetur de fide definire, quamuis habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne erret, ac proinde temerarium eſt negare, id, quod ipſe in canonizatione decernit.*

Et

Et poſt pauca addit. *Tamen definitio Pontificis, quæ decernit doctrinam morum, non poteſt non ad fidem pertinere: æqua enim poteſtas definiendi conuenit Pontifici in rebus morum, & in myſterijs noſtræ Religionis; alioquin poſſet Pontifex proponere populo, vt bonum, id quod ex genere ſuo peccatum eſſet, qui eſt manifeſtus error. Eodem modo Pontifex definire poteſt ex principijs fidei eſſe in Eccleſiaſtatum Religioſum, & ea quæ ad ipſum eſſentialiter pertinent.* Hæc ille. Sed libenter didiciſſem à Suarez, & à Vaſquez vnde ex principijs fidei deduci poſſit ſufficere ad eſſentiam ſtatus Religioſi tria vota ſimplicia Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, retento adhuc dominio, & iure ſuccedendi tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato? Item vtrum Pontifex id definiuerit ex antecedenti natura talium Votorum, an ex indulto Sedis Apoſtolicæ, & iure poſitiuo, ità conſtituerit Pontifex, vt videtur colligi ex dicta Bulla; in illa clauſula: *Statuimus, atq; decernimus tria vota huiuſmodi, etſi ſimplicia, ex huius Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in Religione approbata per Sedem eandem admiſſa fuiſſe, & eſſe.* Igitur ex inſtitutione Pontificis habent tria illa vota quamuis ſimplicia talem vim; ſicut ex eiuſdem inſtitutione, votum ſimplex caſtitatis in Societate eſt impedimentum dirimens matrimonium, vt ibidem ſancitur. Denique ſcire velim quarè non æquè ad mores Eccleſiæ ſpectet verus cultus verè Sanctorum, & eorum ſecura imitatio, atq; inuocatio; ac ſpectet ſcire Scholaſticos, & Coadiutores Societatis poſt tria vota ſimplicia eſſe verè Religioſos? adeò, vt hæc definitio ſit de fide, non ſit autem definitio, qua Papa definit aliquos Sanctos eſſe. Inſtantia aduerſus Vaſquez.

TERTIÆ OPINIONIS Prima Claſsis.

14 Tertia Opinio eſt eorum, qui non ſolùm cenſent infallibilem eſſe abſolutè definitionem, quã Summus Pontifex definit aliquem eſſe Sanctum, adeoq; certam eſſe Gloriam Sanctorum ab eo canonizatorum, ſed etiam id eſſe de fide, aut indicant, quos in Prima hac claſſe, aut exprimunt, quos in Secunda claſſe recenſebimus; incipiendo à Caſſiodoro, qui explicans illud Pſalmi 121. *Teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini tuo* ſic exponit: *Teſtimonium Iſrael, qui teſtimonium præbeant Sanctitati, vt ſunt probatio eorum, qui Deum vident. Teſtimonium enim confirmationem præſtat ignorantibus, vt credant eſſe reuera Dei famulos, qui viderint Beatos viros actuum probitate conſpicuos. Nam, vt hoc non haberes ambiguum ſubiecit: ad confitendum nomini tuo. Ad confitendum enim dicit ad laudandum, quia cum Angelis omnes Sancti laudes Domini deuotiſſimè celebrant.* Videtur ergo ſentire credendum eſſe de fide eos que, probati ſunt Sancti in Eccleſia, tales eſſe, & cum Angelis abſque ambiguitate, laudare Dominum in Cœlis, & ita ex eo colligit Valdenſis tomo 3. Doctrinalis Tit. 14. c. 122.

Caſſiodorus.

15. *S. Thomas Aquinas* Quodlib. 9. q. 7. artic. 16. cuius titulus eſt. *Vtrum omnes Sancti, qui ſunt per Eccleſiam canonizati, ſint in Gloria, vel aliqui eorum in Inferno?* propoſitis, vt ſolet, argumentis, quæ videntur probare Papam, & Eccleſiam in hoc errare poſſe, reſoluit in contrarium dicendo: *Sed contra in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator &c. &* §. 2. *addit. Præterea Aug. dicit in Epiſtola ad Hieron. quòd ſi in ſcriptura canonica aliquod* men-

S. Thomas Aquin.

mendacium admittatur, nutabit fides noſtra, quæ ex ſcriptura canonica dependet: ſed ſicut tenemur credere illud, quòd eſt in Sacra Scriptura, ita illud quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum, vnde hæreticus iudicatur, qui ſentit contra determinationem Conciliorum. Ergo commune iudicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poteſt. Cum ergo hæc duo ſint fundamenta reſolutionis S. Thomæ; cõtra mentem eius eunt, qui conantur oſtendere hanc veritatem de S. Thomæ ſententia non eſſe de fide. quaſi verò Reſponſio, quam ſubiungit hæc fundamenta deſtruat, aut labefactet ſubiungit enim: *Reſpondeo. Dicendum, quòd aliquid poteſt iudicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquod extrinſecum impoſſibile inuenitur. Dico ergo, quod iudicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ earum tantum perſpiciantur. Si verò conſideretur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſicut ipſe promiſit Ioan. 14. quod Spiritus adueniens doceret omnem veritatem de neceſſarijs ſcilicet ad ſalutem, certum eſt quòd iudicium Eccleſiæ vniuerſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: vnde magis ſtandum ſententiæ Papæ ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet ſapientum hominum in ſcripturis opinioni,* & paucis poſt addit. *In alijs verò ſententijs quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de huiuſmodi, poſſibile eſt iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc duo; Quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus piè credendum eſt, quod nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit.* Quidam tamen non introſpecta penitus mente S. Thomæ, hoc loco abutuntur, vt confirment non eſſe certum de fide, quod Sancti canonizati ſint in Gloria, & in primis Gratianus in Gloſſa, de quo poſtea, & Raynaudus num. 4. adductus, quia

ſci-

ſcilicet S. Thomas iudicium Eccl. in Canoniz. Sanctorum medium facit inter ea, quæ ad fidem pertinent, & inter iudicia forenſia de factis particularibus, & quia vtitur illa phraſi: *Piè credendum*, quæ non aptatur dogmatibus fidei abſolutè, & non tantum piè credendis.

Verùm S. Thomas non intendit definitionem de Sanctitate, & Gloria Canonizatorum eſſe mediam inter definitiones fidei, & deciſiones litium forenſium medietate cadente ſupra motiuum formale fidei, quaſi verò minus credenda ſit illa, quàm reliqua ad fidem ſpectantia, ſed medietate obiecti materialis, quia ſcilicet quæſtio hæc, quatenus eſt quæſtio *Facti*, potiuſquàm *Iuris*, & in hoc videtur ſecundum ſe obnoxia teſtium fallaciæ, aut fallibilitati. Sed ſicut etiam in cauſis fidei Pontifex ſecundum ſe ſpectatus, vt homo errare poteſt, vt ſupra dixit S. Thomas illis verbis: *Poteſt errare in quibuslibet ſi perſona, &c.* Spectata verò Dei prouidentia, & Spiritus Sancti aſſiſtentia errare non poteſt in decretis fidei; Ita licet in hac quæſtione facti ſpectata poſſibili fallacia teſtificantium, de vita, & miraculis alicuius Sancti, errare poſſet; ſpectata tamen Dei prouidentia, & aſſiſtentia Spiritus Sancti ne in hoc quidem negotio, quantumuis ſit facti particularis, errare poteſt, quia in hoc includitur quædam profeſſio fidei. Quoad hoc igitur nulla eſt diſparitas, aut minoratio fidei iuxta S. Thomam, ſed paritas, cum in ſolutione obiectionum dicat. *AD PRIMVM* ergo *dicendum quòd Pontifex, cuius eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicuius per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum, & præcipuè per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, & mox ad 2. *Dicendum, quod Diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur*. Præterea cum in hoc articulo non eſſet quæſtio, an Papa poſſit errare in decretis fidei, ſed an in hac quæſtione facti de Gloria Sancti alicuius; ſuperuacaneè, & ex-

& extra propoſitum adduxiſſet pro fundamento ſuæ doctrinæ auctoritatem S. Auguſtini, & paritatem de infallibilitate omnimoda Scripturæ Canonicæ, & textum Euangelij Io. 14. de omni veritate docenda per Spiritum Sanctum: ne igitur hac nota laboret S. Doctor dicendum potiùs eſt, eum veritatem de Gloria Sanctorum Canonizatorum agnouiſſe inter veritates de fide credendas; ſed quia hoc ipſum non eſt expreſſè, & interminis ab Eccleſia definitum, nec damnati ſunt hactenus, ſed tolerati, qui negarunt id eſſe de fide, propterea leniuit S. Thomas ſuam ſententiam illa formula dicendi *Piè credendum*: non quod credendum ſit ex ſupererogatione, & abundantia deuotionis, aut quomodo etiam non canonizatos defunctos cum iudicijs, & fama vitæ Chriſtianæ ſolemus dicere: *piè credi poſsè quod ſint in Cælo, vel in loco Salutis*, ſed quia impium ſi non hæreticum eſſet oppoſitum aſſerere, & quia ſicut in alijs de fide credendis, requiritur peculiare auxilium Dei voluntatem inclinantis ad imperandum fidei actum abſolutum, non obſtante obſcuritate reuelationis ita, & hic maximè, vbi reuelatio fortaſſis obſcurior videri poſſit aliquibus.

16. Itaque S. Thomam de credenda de fide Gloria Sanctorum Canonizatorum interpretantur in primis Thomas Bzouius de ſignis Eccleſiæ Cap. 32. & Lucas Caſtellinus Dominicanus de certitudine Gloriæ Sanctorum C. 3. & 4. & Reuerendiſs. Lucarinus in controu. Thomiſt. concl. 30. ſequuntur porrò S. Thomam eiuſq; verba ex Quodlibeto 9. art. 16. tranſcribunt S. Antoninus Tomo 3. Summæ Theolog. tit. 12. c. 8. §. 2. Arragonia in 22. q. 1. art. 10. Summa Armilla verbo *Canonizatio*, Ioannes Tabienſis in Summa inde dicta *Tabiena* verbo *Canonizatio*; Silueſter in Summa verbo *Canonizatio* q. 3. Bzouius Caſtellin. Lucarin. S. Anton. Armilla Tabiena Sylueſter

17. Ioan. de Turrecremata ſuper Decreto 3. parte de Conſecratione diſt. 3. §. Ad quintum Reſpondet, Canonizationem Turrecremata

nem Sanctorum reſeruatam eſſe Summo Pontifici: *Quia canonizatio Sanctorum innititur fidei Chriſti, in quem Sancti credentes miracula faciunt, quæ atteſtantur eorum Sanctitatem, & fidei integritatem. Fides autem Chriſti vna eſt, iuxta illud ad Epheſios 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, ad illum ergo pertinet Sanctorum canonizatio, per quem omnia membra Eccleſiæ vniuntur in vnitate fidei.* Et paulò inferiùs: *Sicut ad ſolum Summum Pontificem quæſtiones de fide ortas pertinet determinare, vt in Capit. Quoties 34. q. 1. ita quis debeat in Eccleſia tanquam Sanctus coli, declarare, & mandare.* Spectat ergo hæc quoque definitio ad definitiones fidei, idemque docet in tract. de Eccleſia q. 51. & 73. & lib. 2. de Eccl. C. 110.

Couarru. 18. Didacus Couarruuias Tom. 2. variarum Reſolut. lib. 1. Cap. 10. §. 12. vbi vniuerſaliter docuit: *Pontificem in his, quæ ad fidem pertinent, vt perſonam publicam, & Eccleſiæ caput aliquid definientem minimè errare poſſe*, infert ex hac ſententia inter alia hoc: *Ex quo & illud deduci poteſt, Papam non poſſe in canonizatione Sanctorum errare, quam prauia diligenti examinatione, maturoq; prudentium conſilio vti Eccleſiæ Summus Præſes decreuerit.* Et pro ſe adducit S. Thomam ſupra; Florentinum, ideſt S. Antoninum, Turrecrematam, & alios; & reddit rationem. *Quia hoc iudicium canonizationis alicuius Sancti, etſi à peculiari eius vitæ teſtimonio pendeat, ad vniuerſalem tamen totius Chriſtianæ religionis ſtatum pertinet: cum ea ſit quædam Confeſſio fidei; & ideò credendum piè eſt Summum Pontificem in perſcrutandis eius qui in Sanctos eſt referendus, & miraculis, & geſtis, ab ipſo Spiritu Sancto, qui omnia ſcrutatur inſtrui.*

Bellarminus 19. *Eminentiſſimus Robertus Bellarminus* Controu. 7. de Eccl. Triumph. lib. 1. qui eſt de Sanctor. Beatitud. Cap. 9. aſſerit in titulo. *Credendum eſſe, Pontificem non errare in Sanctorum Canonizatione*; & inter alias rationes hanc profert:

Mira-

Miracula magna, & diligenter examinata faciunt rem euidenter credibilem, vt alibi oſtendimus: at Sancti à Pontifice non canonizantur ordinariè, niſi claruerint magnis, & certis miraculis, &c. Ergo ſicut in alijs miracula faciunt euidenter credibile aliquid de fide, ita Canonizatio Papalis poſt miracula examinata, & approbata facit credibilem de fide Gloriam Sanctorum.

TERTIÆ OPINIONIS
Secunda Claſsis.

20. EXpreſſiùs Canonizationem Sanctorum pertinere ad fidem, & ideo ad ſolum Summum Pontificem ſpectare, eſſeque infallibilem, non ſola infallibilitate morali, & prudentiali, ſed Fidei cenſent inter alios Vigintiquinque Auctores mox producendi: videlicet *Ioannes de Neapoli* quodlibeto 10. & apud S. Antoninum 3. p. ſummæ Theol. Tit. 12. c. 8. §. 1. & Syluestrum verbo Canonizatio; qui dixit: *hæreticum eſſe negare Sanctos Canonizatos eſſe in Gloria, & reuera Sanctos eſſe.* Et S. Bonauentura opuſc. contra Gullielmum, cùm dixit; *Ad infedilitatem ſpectat de Sancti Canonizati Gloria dubitare.* Quem etiam cum alijs Sanctis Gregorio, Ambroſio, Cyrillo, Hieronymo, Bernardo adducit *Ambroſius Catharinus* libro de certa Sanctor. Gloria §. *venio nunc ad authoritates*, & huc conuocat S. Thomam §. *nam quod S. Thomas*. Turrecrematam verò ſic intelligit, & ſequitur *Troilus Maluetius* de Canoniz. Sanctorum § *aggredior* à num. 47. Eiuſdem opinionis fuere *Franciſcus de Pauinis* in Relatione pro Canonizatione S. Bonauenturæ parte 2. art. 9. *Michael Nauclerus* lib. 4. de Monarchia Diuina &c. p. 2. c. 7. §. *quamobrem*, & §. *certè*: item *Franciſcus Pitigianus* parte 2. Summæ Theol. diſt.

Io. de Neapoli. S. Bonauentura. Catharinus. Maluetius Pauinius. Nauclerus. Pitigianus

Molfeſius dist.25. q.2.art.4.& 5.Concl.2. *Molfeſius* in ſumma morali tomo 1. tract.2. c.6. num.44. Et Conſil.45.num.11. *Didacus Nugnez* in Additionibus ad 3.partem S.Thomæ q.20. art.3.diffic.4. Concl.3. *Dominicus Amphoſſinus* de Reliquiarum cultu §. 24. num.5. *Duallius* tractatu de Pontifice p.1. q.7. *Bzouius* de Pontifice cap.32. *Verricellus* in quæſtionibus moralibus tr.8.q.24. *Lucas Caſtellinus* de certitudine Gloriæ Sanctor.cap.3. puncto 37.45.48.& cap.4. puncto 3. & 4. Sed ne nimis ieiunum Lectorem dimittamus, placet reliquorum quorumdam verba ſeligere.

Nugnez. Amphoſſinus. Duallius. Bzouius. Verricell. Caſtellin.

Tuſcus. 21. Eminentiſs.Card.*Dominicus Tuſcus* tomo 1.Practicarum Concluſ. Concl.41. verbo *canonizatio*, vbi contra paucos Canoniſtas, tenet Papam in hoc errare minimè poſſe dicens: *Contrarium, quod imò non poſſit errare, cum ſit de pertinentibus ad Fidem tenent communiter Theologi*, & Fellinum refellens addit: *Quia in iſto articulo, licet non agatur de articulis fidei explicitè, tamen agitur de articulis fidei implicitè.*

Caſtrēſis. *Alphonſus à Caſtro* lib.1. de Iuſta Hæreticor. punit Cap.6. poſtquam docuit Papam non poſſe committere alicui *alteri poteſtatem definiendi de fide*: ſubiungit. *Si Papa poſſet poteſtatem definiendi de fide in quemquam alium transferre ad eundem modum, poſſet etiam canonizationem Sanctorum, alicui committere, quia Sanctorum canonizatio, vt Beatus Thomas docet, res eſt quodammodo ad fidem ſpectans, cui B. Thomæ ſententiæ quodammodo fauent verba, quæ Summus Pontifex dicit in canonizatione alicuius Sancti, quæ poſita ſunt in libro Sacrarum ceremoniarum Eccleſiæ & ſunt quæ ſequuntur. Ad honorem Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate eiuſdem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus bonæ memoriæ N. Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcriben-*

bendem, ipſumq́; catalogo huiuſmodi adſcribimus. Poſtea notat idem Auctor: *Aduertendum quod ait, talem canonizationem fieri ad exaltationem fidei catholicæ*. Sed ego in verbis Alphonſi aduerto inſuper particulam illam; *ad eundem modum*, qua indicat eodem modo ſentiendum eſſe de authoritate canonizandi Sanctos, ac de definiendi res alias ad fidem ſpectantes.

22. *Ioannes Viguerius* libro 1. Inſtitut. Theol. agens de Virtute Fidei, numero marginali 104. Sic incipit: *Cum Canonizatio Sanctorum ſit quædam fidei proteſtatio, conſequens eſt, quod ad Summum Pontificem pertineat, & quod Summus Pontifex in canonizatione Sanctorum, ſeruando ritum, & ſolemnitates obſeruari debitas, errare non poſſit*, & inferius: *Præterea publica, atq́; exterior veneratio eſt quædam fidei proteſtatio, igitur ad illum ſolum pertinet, ad quem ſpectat quæſtionem fidei terminare; ſed hoc pertinet ad ſolum Papam; igitur &c.* Conceſſo autem quod Papa, vt perſona priuata in alijs quæſtionibus facti errare poſſit, excipit tamen hunc caſum, & ſubiungit. *Sed procedendo, vt Summus Pontifex, cum facit quod in ſe eſt, & ſecundùm ritum Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum errare aut decipi non poteſt. Tunc enim comparatur ad Diuinam prouidentiam, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſicut promiſit inquiens: Spiritus Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem, ſcilicet de neceſſarijs ad ſalutem, qualia ſunt ea, quæ pertinent ad bonos mores, & ad fidem, ad quàm notum eſt pertinere aliquorum Sanctorum publicam venerationem, & inuocationem, quæ eſt quædam fidei proteſtatio*. Demum Papam non inniti ſolùm teſtibus &c. Sed certificari *per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*. Ideo non *innitur ſolùm medio fallibili, ſed infallibili.*

Viguerius

23. *Ioannes Azorius* parte 2. Inſtitut. moral. lib. 5. cap. 6. q. 5. adducit, & ſequitur ſententiam Ioannis de Neapoli, & Azor

S. Thomæ, de qua ſupra, & inter alia inquit: *Quare, vt demus hominum teſtimonia eſſe falſa, Deus Pontifici aſſiſtet ne deficiat. Nam cum Deus promiſerit nunquam defecturam Petri fidem, diuina eſt Prouidentia, ne Petri ſucceſſor definiat credendũ id quod falſum eſt: & diuina eſt prouidentia, tunc ſua Eccleſia oſtendere, & patefacere ea teſtimonia eſſe falſa.* Sentit ergo id pertinere ad fidem, & credendum per inde, ac reliqua de fide à Petri ſucceſſore definita.

Gregor de Valent. 24. *Gregorius de Valentia* Tomo 3. Diſp. 1. q. 1. de obiecto fidei puncto 7. § 41. diſertiſſimè: *Itaq́ quod ad canonizationem Sanctorum attinet, omnino nego id, quod Communiter Doctores Catholici iure optimo negant: videlicet poſſe Pontificem in hac parte errare. Quamuis enim teſtimonia, quæ pro alicuius hominis ſanctitate afferuntur ſint humana, ideoq́ natura ſua fallibilia: tamen poſito quòd Pontifex illis inducatur tandem ad pronunciandum, quem piam ſanctum, atq́ beatum iam eſſe, certa fide credendum eſt, teſtimonia illa (quatenus in genere ſaltem probant piè, atq́ Sanctè quenquam ex hac vita exceſſiſſe) vera eſſe, & hominem eiuſmodi ex eorum eſſe numero, quos per reuelationes Scripturæ generales communiter conſtat, diuinæ gratiæ beneficio conſequi æterna vitæ beatitudinem.* Neque his contentus addit. *Quæ ſanè certitudo iiſdem illis Dei promiſſionibus nititur, ex quibus compertum habemus nunquam eſſe futurum, vt vniuerſa Eccleſia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem grauiter in negotio Religionis, ſi Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui Sanctus non eſt. Hic autem illud, quod aliàs ab orthodoxis probatum, atq́ defenſum eſt, tanquam ex fide certum pono, nempè rem eſſe omninò quæ ad Eccleſiæ ædificationem, adeoq́ ad officium Pontificis pertineat; vt Sancti quidam aliquando canonizentur &c.* Hæc ipſa verba repetit libro 8. Analyſis fidei cap. 3. Audiamus nunc eius diſcipulum in Fidei controuerſijs exercitatiſſimum Adamum Tannerum eiuſdem Societatis.

25. *Ada-*

25. *Adamus Tannerus* tomo 3. Theologiæ Scholaſticæ Diſput. 1. de Fide q. 4. dubio 7. quæſtio 3. Aſſertione 3. concludit: *Sed & firmiter credendum Canonizationem Sanctorum à Pontifice factam, eſſe infallibilem; ita vt ſit de fide verè ſanctos, ac beatos eſſe, eos, qui à Summo Pontifice canonizati ſunt.* Dixit tamen aſſertione 2. oppoſitum non eſſe apertam hæreſim, ſed ſapere hæreſim. Tannerus

26. *Rodericus Arriaga* Societatis Ieſu Tomo 2. curſus Theologici Tractatu de Fide Diſput. 9. ſect. 5. non ſolum num. 27. infert ex à ſe dictis: *Non poſſe errare Pontificem in Canonizatione Sanctorum.* ſed expenſis formulis, quibus Pontifices vſi ſunt in canonizationibus, concludit nu. 28. ſic: *Igitur ex his omnibus modis loquendi tot Pontificum colligo (quidquid aliqui in contrarium dicant) Papam in canonizationibus non ſolum errare non poſſe, ſed id eſſe de fide, quia in ſummis ipſis definitionibus, non vtuntur Pontifices maiori ponderatione verborum;* & num. 29. addit. *Materia hæc non minus directè gubernationem Eccleſiæ concernit, quàm aliæ multæ, quæ definitæ ſunt: immò longè magis: quod enim iuſtificatio v. g. fiat per infuſionem donorum, eſt veritas, vt ſic dicam, ſpeculatiua, ob quàm nec melius, nec peius nos operabimur: & tamen habet Pontifex auctoritatem illam definiendi. At hæc veritas canonizationis ſummè ad mores, & gubernationem ſpiritualem Eccleſiæ ſpectat &c.* & nu. 30. occurrens obiectioni ait: *Neq; obſtat, quod non fiat Pontifici ſpecialis reuelatio de ſanctitate canonizati: etenim iam diximus ſupra, etiam non fieri ei reuelationem ſpecialem, quòd talis, aut talis ſit ſenſus Scripturæ, & tamen habet auctoritatem id definiendi, quia Deus ita illi aſſiſtit, vt non permittat eum errare.* Arriaga.

27. *Stephanus Fagundez* Soc. Ieſu Tract. de Quinq; Præceptis Eccleſiæ lib. 1. cap. 4. nu. 30. docet Pontificem Romanum errare non poſſe in canonizatione Sanctorum: *Quia honor, & cultus publicus, quem Sanctis poſt canonizationem* Fagundez

im-

TERTIÆ OPINIONIS Prima Claſsis.

14 TErtia Opinio eſt eorum, qui non ſolùm cenſent infallibilem eſſe abſolutè definitionem, quà Summus Pontifex definit aliquem eſſe Sanctum, adeoq; certam eſſe Gloriam Sanctorum ab eo canonizatorum, ſed etiam id eſſe de fide, aut indicant, quos in Prima hac claſſe, aut exprimunt, quos in Secunda claſſe recenſebimus; incipiendo à Caſſiodoro, qui explicans illud Pſalmi 121. *Teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini tuo* ſic exponit: *Teſtimonium Iſrael, qui teſtimonium præbeant Sanctitati, vt ſunt probatio eorum, qui Deum vident. Teſtimonium enim confirmationem præſtat ignorantibus, vt credant eſſe reuera Dei famulos, qui viderint Beatos viros actuum probitate conſpicuos. Nam, vt hoc non haberes ambiguum ſubiecit: ad confitendum nomini tuo. Ad confitendum enim dicit ad laudandum, quia cum Angelis omnes Sancti laudes Domini deuotiſſimè celebrant.* Videtur ergo ſentire credendum eſſe de fide eos que, probati ſunt Sancti in Eccleſia, tales eſſe, & cum Angelis abſque ambiguitate, laudare Dominum in Cœlis, & ita ex eo colligit Valdenſis tomo 3. Doctrinalis Tit. 14. c. 122.

Caſſiodorus.

15. *S. Thomas Aquinas* Quodlib. 9. q. 7. artic. 16. cuius titulus eſt. *Vtrum omnes Sancti, qui ſunt per Eccleſiam canonizati, ſint in Gloria, vel aliqui eorum in Inferno?* propoſitis, vt ſolet, argumentis, quæ videntur probare Papam, & Eccleſiam in hoc errare poſſe, reſoluit in contrarium dicendo: *Sed contra in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator &c. &* §. 2. *addit. Præterea Aug. dicit in Epiſtola ad Hieron. quòd ſi in ſcriptura canonica aliquod* men-

S. Thomas Aquin.

mendacium admittatur, nutabit fides noſtra, quæ ex ſcriptura canonica dependet: ſed ſicut tenemur credere illud, quòd eſt in Sacra Scriptura, ita illud quod eſt communiter per Eccleſiam determinatum, vnde hæreticus iudicatur, qui ſentit contra determinationem Conciliorum. Ergo commune iudicium Eccleſiæ erroneum eſſe non poteſt. Cum ergo hæc duo ſint fundamenta reſolutionis S. Thomæ; cõtra mentem eius eunt, qui conantur oſtendere hanc veritatem de S. Thomæ ſententia non eſſe de fide. quaſi verò Reſponſio, quam ſubiungit hæc fundamenta deſtruat, aut labefactet ſubiungit enim: *Reſpondeo. Dicendum, quòd aliquid poteſt iudicari poſſibile ſecundùm ſe conſideratum, quod relatum ad aliquod extrinſecum impoſſibile inuenitur. Dico ergo, quod iudicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ earum tantum perſpiciantur. Si verò conſideretur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſicut ipſe promiſit Ioan. 14. quod Spiritus adueniens doceret omnem veritatem de neceſſarijs ſcilicet ad ſalutem, certum eſt quòd iudicium Eccleſiæ vniuerſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: vnde magis ſtandum ſententiæ Papæ ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet ſapientum hominum in ſcripturis opinioni,* & paucis poſt addit. *In alijs verò ſententijs quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de huiuſmodi, poſſibile eſt iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc duo; Quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus piè credendum eſt, quod nec etiam in his iudicium Eccleſiæ errare poſſit.* Quidam tamen non introſpecta penitus mente S. Thomæ, hoc loco abutuntur, vt confirment non eſſe certum de fide, quod Sancti canonizati ſint in Gloria, & in primis Gratianus in Gloſſa, de quo poſtea, & Raynaudus num. 4. adductus, quia

ſci-

ſcilicet S. Thomas iudicium Eccl. in Canoniz. Sanctorum medium facit inter ea, quæ ad fidem pertinent, & inter iudicia forenſia de factis particularibus, & quia vtitur illa phraſi: *Piè credendum*, quæ non aptatur dogmatibus fidei abſolutè, & non tantum piè credendis.

Verùm S. Thomas non intendit definitionem de Sanctitate, & Gloria Canonizatorum eſſe mediam inter definitiones fidei, & deciſiones litium forenſium medietate cadente ſupra motiuum formale fidei, quaſi verò minus credenda ſit illa, quàm reliqua ad fidem ſpectantia, ſed medietate obiecti materialis, quia ſcilicet quæſtio hæc, quatenus eſt quæſtio *Facti*, potiuſquàm *Iuris*, & in hoc videtur ſecundum ſe obnoxia teſtium fallaciæ, aut fallibilitati. Sed ſicut etiam in cauſis fidei Pontifex ſecundum ſe ſpectatus, vt homo errare poteſt, vt ſupra dixit S. Thomas illis verbis: *Poteſt errare in quibuslibet ſi perſona, &c.* Spectata verò Dei prouidentia, & Spiritus Sancti aſſiſtentia errare non poteſt in decretis fidei; Ita licet in hac quæſtione facti ſpectata poſſibili fallacia teſtificantium, de vita, & miraculis alicuius Sancti, errare poſſet; ſpectata tamen Dei prouidentia, & aſſiſtentia Spiritus Sancti ne in hoc quidem negotio, quantumuis ſit facti particularis, errare poteſt, quia in hoc includitur quædam profeſſio fidei. Quoad hoc igitur nulla eſt diſparitas, aut minoratio fidei iuxta S. Thomam, ſed paritas, cum in ſolutione obiectionum dicat. *AD PRIMVM* ergo *dicendum quòd Pontifex, cuius eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicuius per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum, & præcipuè per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, & mox ad 2. *Dicendum, quod Diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur*. Præterea cum in hoc articulo non eſſet quæſtio, an Papa poſſit errare in decretis fidei, ſed an in hac quæſtione facti de Gloria Sancti alicuius; ſuperuacaneè,

& ex-

& extra propoſitum adduxiſſet pro fundamento ſuæ doctrinæ auctoritatem S. Auguſtini, & paritatem de infallibilitate omnimoda Scripturæ Canonicæ, & textum Euangelij Io. 14. de omni veritate docenda per Spiritum Sanctum: ne igitur hac nota laboret S. Doctor dicendum potiùs eſt, eum veritatem de Gloria Sanctorum Canonizatorum agnouiſſe inter veritates de fide credendas; ſed quia hoc ipſum non eſt expreſsè, & interminis ab Eccleſia definitum, nec damnati ſunt hactenus, ſed tolerati, qui negarunt id eſſe de fide, propterea leniuit S. Thomas ſuam ſententiam illa formula dicendi *Piè credendum*: non quod credendum ſit ex ſupererogatione, & abundantia deuotionis, aut quomodo etiam non canonizatos defunctos cum iudicijs, & fama vitæ Chriſtianæ ſolemus dicere: *piè credi poſsè quod ſint in Cœlo, vel in loco Salutis*, ſed quia impium ſi non hæreticum eſſet oppoſitum aſſerere, & quia ſicut in alijs de fide credendis, requiritur peculiare auxilium Dei voluntatem inclinantis ad imperandum fidei actum abſolutum, non obſtante obſcuritate reuelationis ita, & hic maximè, vbi reuelatio fortaſſis obſcurior videri poſſit aliquibus.

16. Itaque S. Thomam de credenda de fide Gloria Sanctorum Canonizatorum interpretantur in primis Thomas Bzouius de ſignis Eccleſiæ Cap. 32. & Lucas Caſtellinus Dominicanus de certitudine Gloriæ Sanctorum C. 3. & 4. & Reuerendiſs. Lucarinus in controu. Thomiſt. concl. 30. ſequuntur porrò S. Thomam eiuſq; verba ex Quodlibeto 9. art. 16. tranſcribunt S. Antoninus Tomo 3. Summæ Theolog. tit. 12. c. 8. §. 2. Arragonia in 22. q. 1. art. 10. Summa Armilla verbo *Canonizatio*, Ioannes Tabienſis in Summa inde dicta *Tabiena* verbo *Canonizatio*; Silueſter in Summa verbo *Canonizatio* q. 3. Bzouius Caſtellin. Lucarin. S. Anton. Armilla Tabiena Sylueſter

17. Ioan. de Turrecremata ſuper Decreto 3. parte de Conſecratione diſt. 3. §. Ad quintum Reſpondet, Canonizationem Turrecremata

nem

nem Sanctorum reſeruatam eſſe Summo Pontifici: *Quia canonizatio Sanctorum innititur fidei Chriſti, in quem Sancti credentes miracula faciunt, quæ atteſtantur eorum Sanctitatem, & fidei integritatem. Fides autem Chriſti vna eſt, iuxta illud ad Epheſios 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, ad illum ergo pertinet Sanctorum canonizatio, per quem omnia membra Eccleſiæ vniuntur in vnitate fidei*. Et paulò inferiùs: *Sicut ad ſolum Summum Pontificem quæſtiones de fide ortas pertinet determinare, vt in Capit. Quoties 34. q. 1. ita quis debent in Eccleſia tanquam Sanctus coli, declarare, & mandare*. Spectat ergo hæc quoque definitio ad definitiones fidei, idemque docet in tract. de Eccleſia q. 51. & 73. & lib. 2. de Eccl. C. 110.

Couarru. 18. Didacus Couarruuias Tom. 2. variarum Reſolut. lib. 1. Cap. 10. §. 12. vbi vniuerſaliter docuit: *Pontificem in his, quæ ad fidem pertinent, vt perſonam publicam, & Eccleſiæ caput aliquid definientem minimè errare poſſe*, infert ex hac ſententia inter alia hoc: *Ex quo & illud deduci poteſt, Papam non poſſe in canonizatione Sanctorum errare, quam præuia diligenti examinatione, maturoq; prudentium conſilio vti Eccleſiæ Summus Præſes decreuerit*. Et pro ſe adducit S. Thomam ſupra; Florentinum, ideſt S. Antoninum, Turrecrematam, & alios; & reddit rationem. *Quia hoc iudicium canonizationis alicuius Sancti, etſi à peculiari eius vita teſtimonio pendeat, ad vniuerſalem tamen totius Chriſtianæ religionis ſtatum pertinet: cum ea ſit quædam Confeſſio fidei; & ideò credendum piè eſt Summum Pontificem in perſcrutandis eius qui in Sanctos eſt referendus, & miraculis, & geſtis, ab ipſo Spiritu Sancto, qui omnia ſcrutatur inſtrui.*

Bellarminus 19. *Eminentiſſimus Robertus Bellarminus* Controu. 7. de Eccl. Triumph. lib. 1. qui eſt de Sanctor. Beatitud. Cap. 9. aſſerit in titulo. *Credendum eſſe, Pontificem non errare in Sanctorum Canonizatione*; & inter alias rationes hanc profert:

Mira-

Miracula magna, & diligenter examinata faciunt rem euidenter credibilem, vt alibi oſtendimus: at Sancti à Pontifice non canonizantur ordinariè, niſi claruerint magnis, & certis miraculis, &c. Ergo ſicut in alijs miracula faciunt euidenter credibile aliquid de fide, ita Canonizatio Papalis poſt miracula examinata, & approbata facit credibilem de fide Gloriam Sanctorum.

TERTIÆ OPINIONIS
Secunda Claſsis.

20. EXpreſſiùs Canonizationem Sanctorum pertinere ad fidem, & ideo ad ſolum Summum Pontificem ſpectare, eſſeque infallibilem, non ſola infallibilitate morali, & prudentiali, ſed Fidei cenſent inter alios Vigintiquinque Auctores mox producendi: videlicet *Ioannes de Neapoli* quodlibeto 10. & apud S. Antoninum 3.p. ſummæ Theol. Tit. 12.c. 8. §. 1. & Sylueſtrum verbo Canonizatio; qui dixit: *hæreticum eſſe negare Sanctos Canonizatos eſſe in Gloria, & reuera Sanctos eſſe.* Et S. Bonauentura opuſc. contra Gullielmum, cùm dixit; *Ad infidelitatem ſpectat de Sancti Canonizati Gloria dubitare.* Quem etiam cum alijs Sanctis Gregorio, Ambroſio, Cyrillo, Hieronymo, Bernardo adducit *Ambroſius Catharinus* libro de certa Sanctor. Gloria §. *venio nunc ad authoritates*, & huc conuocat S. Thomam §. *nam quod S. Thomas*. Turrecrematam verò ſic intelligit, & ſequitur *Troilus Maluetius* de Canoniz. Sanctorum § *aggredior* à num. 47. Eiuſdem opinionis fuere *Franciſcus de Pauinis* in Relatione pro Canonizatione S. Bonauenturæ parte 2. art. 9. *Michael Nauclerus* lib. 4. de Monarchia Diuina &c. p. 2. c. 7. §. *quamobrem*, & §. *certè*: item *Franciſcus Pitigianus* parte 2. Summæ Theol.

Io. de Neapoli. S. Bonauentura. Catharinus. Maluetius. Pauinius. Nauclerus. Pitigianus

Molfeſius dist.25. q.2.art.4.& 5.Concl.2. *Molfeſius* in ſumma morali tomo 1. tract.2.c.6. num.44. Et Conſil.45.num.11. *Didacus Nugnez* in Additionibus ad 3.partem S.Thomæ q. 20. art.3.diffic.4. Concl.3. *Dominicus Amphoſſinus* de Reliquiarum cultu §. 24.num.5. *Duallius* tractatu de Pontifice p. 1. q.7. *Bzouius* de Pontifice cap. 32. *Verricellus* in quæſtionibus moralibus tr.8.q.24. *Lucas Caſtellinus* de certitudine Gloriæ Sanctor.cap.3. puncto 37.45.48.& cap.4. puncto 3. & 4. Sed ne nimis ieiunum Lectorem dimittamus, placet reliquorum quorumdam verba ſeligere.

Nugnez. Amphoſſinus. Duallius. Bzouius. Verricell. Caſtellin.

21. Eminentiſs.Card. *Dominicus Tuſcus* tomo 1.Practicarum Concluſ. Concl.41. verbo *canonizatio*, vbi contra paucos Canoniſtas, tenet Papam in hoc errare minimè poſſe dicens: *Contrarium, quod imò non poſſit errare, cum ſit de pertinentibus ad Fidem tenent communiter Theologi*, & Fellinum refellens addit: *Quia in iſto articulo, licet non agatur de articulis fidei explicitè, tamen agitur de articulis fidei implicitè.*

Tuſcus.

Alphonſus à Caſtro lib.1. de Iuſta Hæreticor. punit Cap.6. poſtquam docuit Papam non poſſe committere alicui *alteri poteſtatem definiendi de fide*: ſubiungit. *Si Papa poſſet poteſtatem definiendi de fide in quemquam alium transferre ad eundem modum, poſſet etiam canonizationem Sanctorum, alicui committere, quia Sanctorum canonizatio, vt Beatus Thomas docet, res eſt quodammodo ad fidem ſpectans, cui B. Thomæ ſententiæ quodammodo fauent verba, quæ Summus Pontifex dicit in canonizatione alicuius Sancti, quæ poſita ſunt in libro Sacrarum ceremoniarum Eccleſiæ & ſunt quæ ſequuntur. Ad honorem Sanctæ, & Induiduæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate eiuſdem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus bonæ memoriæ N. Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcriben-*

Caſtrēſis.

bendem, ipſumq́ catalogo huiuſmodi adſcribimus. Poſtea notat idem Auctor: *Aduertendum quod ait, talem canonizationem fieri ad exaltationem fidei catholicæ.* Sed ego in verbis Alphonſi aduerto inſuper particulam illam; *ad eundem modum*, qua indicat eodem modo ſentiendum eſſe de authoritate canonizandi Sanctos, ac de definiendi res alias ad fidem ſpectantes.

22. *Ioannes Viguerius* libro 1. Inſtitut. Theol. agens de Virtute Fidei, numero marginali 104. Sic incipit: *Cum Canonizatio Sanctorum ſit quædam fidei proteſtatio, conſequens eſt, quod ad Summum Pontificem pertineat, & quod Summus Pontifex in canonizatione Sanctorum, ſeruando ritum, & ſolemnitates obſeruari debitas, errare non poſſit*, & inferius: *Præterea publica, atq́ exterior veneratio eſt quædam fidei proteſtatio, igitur ad illum ſolum pertinet, ad quem ſpectat quæſtionem fidei terminare; ſed hoc pertinet ad ſolum Papam; igitur &c.* Conceſſo autem quod Papa, vt perſona priuata in alijs quæſtionibus facti errare poſſit, excipit tamen hunc caſum, & ſubiungit. *Sed procedendo, vt Summus Pontifex, cum facit quod in ſe eſt, & ſecundùm ritum Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum errare aut decipi non poteſt. Tunc enim comparatur ad Diuinam prouidentiam, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſicut promiſit inquiens: Spiritus Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem, ſcilicet de neceſſarijs ad ſalutem, qualia ſunt ea, quæ pertinent ad bonos mores, & ad fidem, ad quàm notum eſt pertinere aliquorum Sanctorum publicam venerationem, & inuocationem, quæ eſt quædam fidei proteſtatio.* Demum Papam non inniti ſolùm teſtibus &c. Sed certificari *per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* Ideo non *innitur ſolùm medio fallibili, ſed infallibili.* Viguerius

23. *Ioannes Azorius* parte 1. Inſtitut. moral. lib. 5. cap. 6. q. 5. adducit, & ſequitur ſententiam Ioannis de Neapoli, & Azor

S. Thomæ, de qua ſupra, & inter alia inquit: *Quare, vt demus hominum teſtimonia eſſe falſa, Deus Pontifici aſſiſtet ne deficiat. Nam cum Deus promiſerit nunquam defecturam Petri fidem, diuina eſt Prouidentia, ne Petri ſucceſſor definiat credendũ id quod falſum eſt: & diuina eſt prouidentia, tunc ſuæ Eccleſiæ oſtendere, & patefacere ea teſtimonia eſſe falſa.* Sentit ergo id pertinere ad fidem, & credendum per inde, ac reliqua de fide à Petri ſucceſſore definita.

Gregor de Valent.

24. *Gregorius de Valentia* Tomo 3. Diſp. 1. q. 1. de obiecto fidei puncto 7. § 41. diſertiſſimè: *Itaq; quod ad canonizationem Sanctorum attinet, omnino nego id, quod Communiter Doctores Catholici iure optimo negant: videlicet poſſe Pontificem in hac parte errare. Quamuis enim teſtimonia, quæ pro alicuius hominis ſanctitate afferuntur ſint humana, ideoq; natura ſua fallibilia: tamen poſito quòd Pontifex illis inducatur tandem ad pronunciandum, quem piam ſanctum, atq; beatum iam eſſe, certa fide credendum eſt, teſtimonia illa (quatenus in genere ſaltem probant piè, atq; Sanctè quenquam ex hac vita exceſſiſſe) vera eſſe, & hominem eiuſmodi ex eorum eſſe numero, quos per reuelationes Scripturæ generales communiter conſtat, diuinæ gratiæ beneficio conſequi æternæ vitæ beatitudinem.* Neque his contentus addit. *Quæ ſanè certitudo iiſdem illis Dei promiſſionibus nititur, ex quibus compertum habemus nunquam eſſe futurum, vt vniuerſa Eccleſia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem grauiter in negotio Religionis, ſi Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui Sanctus non eſt. Hic autem illud, quod aliàs ab orthodoxis probatum, atq; defenſum eſt, tanquam ex fide certum pono, nempè rem eſſe omninò quæ ad Eccleſiæ ædificationem, adeoq; ad officium Pontificis pertineat; vt Sancti quidam aliquando canonizentur &c.* Hæc ipſa verba repetit libro 8. Analyſis fidei cap. 3. Audiamus nunc eius diſcipulum in Fidei controuerſijs exercitatiſſimum Adamum Tannerum eiuſdem Societatis.

25. *Adamus Tannerus* tomo 3. Theologiæ Scholaſticæ Diſput. 1. de Fide q. 4. dubio 7. quæſtio 3. Aſſertione 3. concludit: *Sed & firmiter credendum Canonizationem Sanctorum à Pontifice factam, eſſe infallibilem; ita vt ſit de fide verè ſanctos, ac beatos eſſe eos; qui à Summo Pontifice canonizati ſunt.* Dixit tamen aſſertione 2. oppoſitum non eſſe apertam hæreſim, ſed ſapere hæreſim. Tannerus

26. *Rodericus Arriaga* Societatis Ieſu Tomo 2. curſus Theologici Tractatu de Fide Diſput. 9. ſect. 5. non ſolum num. 27. infert ex à ſe dictis: *Non poſſe errare Pontificem in Canonizatione Sanctorum* ſed expenſis formulis, quibus Pontifices vſi ſunt in canonizationibus; concludit nu. 28. ſic: *Igitur ex his omnibus modis loquendi tot Pontificum colligo (quidquid aliqui in contrarium dicant) Papam in canonizationibus non ſolum errare non poſſe, ſed id eſſe de fide, quia in ſummis ipſis definitionibus, non vtuntur Pontifices maiori ponderatione verborum;* & num. 29. addit. *Materia hæc non minus directè gubernationem Eccleſiæ concernit, quàm aliæ multæ, quæ definitæ ſunt: immò longè magis: quod enim iuſtificatio v. g. fiat per infuſionem donorum, eſt veritas, vt ſic dicam, ſpeculatiua, ob quàm nec melius, nec peius nos operabimur: & tamen habet Pontifex auctoritatem illam definiendi. At hæc veritas canonizationis ſummè ad mores, & gubernationem ſpiritualem Eccleſiæ ſpectat &c.* & nu. 30. occurrens obiectioni ait: *Neq; obſtat, quod non fiat Pontifici ſpecialis reuelatio de ſanctitate canonizati: etenim iam diximus ſupra, etiam non fieri ei reuelationem ſpecialem, quòd talis, aut talis ſit ſenſus Scripturæ, & tamen habet auctoritatem id definiendi, quia Deus ita illi aſſiſtit, vt non permittat eum errare.* Arriaga.

27. *Stephanus Fagundez* Soc. Ieſu Tract. de Quinq; Præceptis Eccleſiæ lib. 1. cap. 4. nu. 30. docet Pontificem Romanum errare non poſſe in canonizatione Sanctorum: *Quia honor, & cultus publicus, quem Sanctis poſt canonizationem im-* Fagundez

impendimus, eſt quædam fidei profeſſio, qua Sanctorum gloriam credimus, & Summus Pontifex non poteſt errare in rebus fidei decernendis. Nec ita multo poſt: *Quando Summus Pontifex aliquid de fide, aut ad fidem concernens definit, non poteſt illi deeſſe aſſiſtentia diuina, ne erret: & ideo licet demus teſtimonia, & informationes fuiſſe falſas, non tamen ideo ſequitur, definitionem illam falſam eſſe, quia Chriſtus propter promiſſionem ſuam Matth.* 28. Ego rogaui pro te Simon, vt non deficiat fides tua: *Summo Pontifici aſſiſtet, ne deficiat: Quo in loco non promiſit Chriſtus Sedi Apoſtolicæ, ac Summo Pontifici non defecturam Spiritus Sancti aſſiſtentiam diligentijs, ſed definitionibus fidei, & earum rerum quæ fidem concernunt. Non enim dixit Petro.* Ego rogaui pro te, vt non deficiat diligentia tua, aut prudentia tua, ſed fides tua; *cùm diligentia non ſit medium abſolutè neceſſarium, nec ſufficiens ad definitionem de rebus fidei, ſed tantùm, vt Papa debito modo ſe gerat; Et non peccare illum mortaliter in omiſſione harum diligentiarum docet Ferdinandus Perez in materia de Fide diſp.* 3. §. *Confirmatur*. Hactenus Fagundez.

Ferdin. Perez.

28. *Antoninus Diana* parte 11. Reſolutionum moralium Tractatu 12. qui eſt de Infallibilitate Decretorum Romani Pontificis Reſolutione 15. Contra eos, qui dicerent: *Eccleſiam non proponere vt articulum fidelibus credendum, Sanctos aliquos eſſe in cælis, ſed tanquam veritatem omnino certam moraliter, & cui fides humana meritò adhiberi debeat* Reſoluit ſic. *Omnino tenendum eſt, Papam non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum: Quia ſcilicet eſſet contra illam promiſſionem Ioannis* 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, & confirmat ex formulis Canonizationum, in quibus Pontifices vſi ſunt verbo *Definiendi*, ait enim: *Non videtur autem, quod Summi Pontifices talibus formulis abſolutam definitionem, in re totam Eccleſiam concernente, continentibus vterentur, niſi exiſtimarent, ſe omnino*

Diana.

no

no certoseſſe, ac per conſequens, nullum ſubeſſe erroris periculum: Et licet Reſolutione 16. concedat, *Aſſerentem Pontificem in canonizatione Sanctorum poſſe errare non eſſe tanquam hæreticum abſolutè damnandum; quia non affirmat aliquid quod contrarium ſit his, quæ Eccleſia recipit tanquam de fide certa, abſq; vlla controuerſia Doctorum. Videmus namq; Canum, Bannem, & alios ſentire de fide non eſſe Pontificem errare non poſse. Ergo Eccleſia non defendit tanquam de fide certum ſine vlla controuerſia.* Concludit tamen hoc pacto: *Quoniam ea maiori probabilitate, & certitudine, qua exiſtimamus de fide eſse, Pontificem in canonizatione Sanctorum errare non poſse; ea affirmandum eſt hæreticum eſse, qui negaret.* Quæ verba deſumpta videntur ex Caſtro Palao.

29. *Ferdinandus Caſtro Palao* Soc. Ieſu par. prima Operis moralis, Tract. 4. qui eſt de Fide diſp. 1. puncto 5. §. 4. nu. 2. Caſtro Palao. concludit *Nihilominus probabilius exiſtimo, non ſolùm temerarium, & ſcandaloſum, ſed etiam erroneum, & hæreticum eſſe affirmare, errare poſſe Pontificem in Sanctorum Canonizatione.* Et in ſolutione obiectionum ait, *Sanctitatem canonizati, & illius in cœlis exiſtentiam, non eſſe ſingulariter, & explicitè reuelatam; Eſſe tamen reuelatam virtualiter, & implicitè, Tum quia reuelatum eſt in Cœlis aſſiſtere, qui in gratia ex hac vita migrauit:* Subintellige (ſi purgatus iam ſit) *Itemq; eſt reuelatum, Pontificem errare non poſſe ob aſſiſtentiam Diuini Spiritus in ijs, quæ ad Religionem vniuerſalis Eccleſiæ pertinent. Ex quibus manifeſtè deducitur de fide eſſe hunc Canonizatum verè in cœlis eſſe, cùm ſequatur ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti.* Eum tamen qui contrarium aſſereret, negat eſſe abſolutè hæreticum, & habet totidem ipſa verba, quæ poſtea in Diana ſupra retulimus. Paragrapho autem 5. num. 4. ait: *Secundo dico eadem certitudine tenendum eſse, Pontificem errare non poſse in Beatificatione Sanctorum, ac in Canonizatione.* Quando ſcilicet concedit Miſſam

in eorum honorem: ratio eius eſt, quia Miſſæ Sacrificium licèt in tota Eccleſia non celebretur, tamen nomine totius Eccleſiæ, & ab Eccleſia deputantur ſpeciales miniſtri ad Miſſam in tali loco celebrandam, & ita ſi in hoc error contigeret, tota Eccleſia erraret.

Nieremberg. 30. *Ioannes Euſebius* Nierembergius Soc. Ieſu in Operib. Parthenicis Opuſculo 2. §. 7. & Opuſculo 8. tractans fusè de canonizatione Sanctorum §. 1. Concedit, *Canonizationem Sanctorum, definitionem eſſe, ac propterea de fide habendum, Canonizatum Sanctum eſſe.* Saltem quando in formulis canonizationum, quarum multas profert, reperitur verbum *Definimus*, vel *definiuimus*.

CAPVT II.

Selecta ex Bullis Canonizationum Pro Infallibilitate abſoluta, & certitudine Sanctitatis, & Gloria Sanctorum Canonizatorum à S. Sede Apoſtolica.

Dixi in titulo Capitis: *Sanctitatis, & Gloriæ*, quia de Canonizatis certa eſt Eccleſia Catholica, non ſolùm eos defunctos eſſe in gratia ſanctificante, cuiuſmodi ſunt animæ iuſtorum in Purgatorio degentium, ſed etiam in cœlo eſſe, & frui Gloria, ac Beatitudine æterna. Porrò infallibilitas abſoluta, ideſt non practica tantummodo, & moralis, ſeu prudentialis, ſed ſpeculatiua quoq; & coràm Deo talis, colligitur ex Bullarum Papalium quinque loquendi formulis 1. ſcilicet ſi profiteantur ſe vti Authoritate Dei, & Apoſtolorum Petri, & Pauli 2. ſi indicent ſe, nec ſolis nec præcipue inniti teſtimonijs humanis, ac informationibus de vita, & miraculis, cuiuſpiam, ſed potiſſimum reuelationi diuinæ occultæ, & inſtinctui Spiritus Sancti, cum fiducia de non errando. 3. Si definiant declarentq; aliquem non ſolum adſcribendum eſſe catalogo Sanctorum, ſed etiam eſſe Sanctum, & in cœlo frui glo-

gloria Sanctorum. 4. Si ipſimet Pontifices ſignificent ſe credere certò tales perſonas eſſe Sanctas, & in cœlo cum Chriſto regnare. 5. Si fideles totamque Eccleſiam obligent ad reputandum quempiam Sanctum, & pro tali habendum, nedum exterius ac publicè feſto, vel officio colendum, ac venerandum. Quodlibet enim horum ſufficiens eſt argumentum de tanta infallibilitate Gloriæ Sanctorum, quanta ſubeſt rebus de fide credendis, quanto magis, ſi plures ex his conditionibus concurrant? An autem his æquiualeant conceſſio conſtruendi Altare ſupra corpus defuncti, vel approbatio Martyrologij, vel traditio, aut conſuetudo totius Eccleſiæ colendi aliquos pro Sanctis, poſteà diſquiremus.

1. Primam Solemnem Canonizationem factam à Papa cenſent multi illam, qua anno 803. vt conſtat ex Baronio, & Epiſtola S. Ludgeri, Leo III. coràm Carolo Magno Vuerdæ d. 4. Septembris S. Suuibertum canonizauit, præmiſſo ieiunio publico; in qua Epiſtola dicitur: *Pridie nonas Septembris tam Papa Sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alij conuenientes in Eccleſiam, & Conuentum S. Suuiberti, ibi oratione finita omnium communicantium in Eccleſia, ſtatim celebrante Solemniter Summam Miſſam Felice Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo, & Sanctiſſima vita ipſius Suuiberti, cum innumeris miraculis conſcripta per Venerabilem Presbyterum Marcellinum Socium, & conterraneum ipſius Sancti, ibidem lectâ: Papa Sanctus Leo de aſſenſu pariter, & conſenſu ſuorum Cardinalium, cæterorumq; Prælatorum illic coràm adſtantium, ſolemniter catalogo Sanctorum Confeſſorum ipſum adſcripſit*, & narrato admirabili odore ex oſſibus Sancti tunc effuſo, nominat præcipuos Cardinalium, & Epiſcoporum, qui fuere præſentes. Cœtera ex Bullario colligemus. 803.

2. Ordo Ioan. 15. Romæ S. Vdalricum Epiſcopum Auguſtanum canonizans poſt lectam eius vitam, ac miracula inquit. *Communi conſilio decreuimus, memoriam Vdalrici Epi-* Tempus An. M.D. 993. Ian. 31.

 ſcopi

ſcopi affectu pijſſimo, & deuotione fideliſſima celebrandam, & §. 3. *Si quis interea (quod non credimus) temerario auſu contra ea, quæ hac noſtra authoritate, piè, ac firmiter per hoc priuilegium conſtituta ſunt; contraire tentauerit, vel hæc quæ à nobis in laudem Dei, & pro reuerentia dicti Epiſcopi ſtatuta ſunt refragari, aut in quoquam tranſgredi; ſciat ſe auctoritate B. Petri Principis Apoſtolorum, cuius immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum*, notanda hic vocabula *fideliſſimè*, & *firmiter*, & pœna excommunicationis contra refragantes. Feſtum huius Sancti fit 4. Iulij.

Ann. 1110 Iun. 4. 3. Paſchalis 2. in Bulla Canonizationis S. Petri Epiſcopi Ciuitatis Anagniæ; mentione facta de miraculis eius ante, & poſt obitum ait: *Mandamus, quatenus 3. nonas Auguſti diem natalis eiuſdem Confeſſoris, & Præſulis venerandi Sanctorum Catalogo congruè celebrem recolatis.*

1134. Apr. 22. 4. Innocentius 2. in Bulla, ſeu enunciatione Canonizationis S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani de Ordine Carthuſienſium edita Piſis inquit: *Cognita vita, & auditis, quæ per B. Hugonis merita fiunt miraculis, ſupernæ Maieſtatis clementiam collaudauimus, & Archiepiſcopor. Epiſcopor. & Cardinalium, atque aliorum, qui nobiſcum aderant communicato conſilio. ipſum inter Sanctos, & electos honorari præcipimus, & diem eius aſſumptionis cum gaudio ſolemniter celebrari, nempè diem 1. Aprilis.*

1152. Mart. 13. 5. Eugenius 3. in Bulla Canonizationis S. Henrici 1. Imperatoris Romanorum, data Trans Tyberim, commemoratis eius Sanctis moribus, & miraculis, inter quæ ait præcipuum eſſe, quod in thoro legitimo poſitus, integritatem caſtimoniæ vſque in finem vitæ conſeruauit, ſubiungit: *Auctoritate S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt &c. eiuſdem memorabilis viri memoriam inter Sanctos de cætero fieri cenſemus, & anniuerſarium ipſius diem ſolemniter celebrari conſtituimus, videlicet die 14. Iulij.*

6. Ale-

6. Alexander 3. in Bulla Canonizationis S. Eduardi Regis Angliæ, edita Anagniæ hæc notanda habet. *Libro miraculorum inſpecto, quæ dum in carne mortali viueret, & poſtquam de præſenti ſeculo eſt aſſumptus, Omnipotens Dominus per ſuam miſericordiam declarauit &c. Quamuis negotium tam arduum, & ſublime, non frequenter ſoleat niſi in Solemnibus Concilijs de more concedi. De communi tamen fratrum noſtrorum conſilio &c. Corpus ipſius Confeſſoris ita glorificandum cenſuimus, & debitis præconijs adorandum in terris; ſicut eundem confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificauit in cælis. Vnde videlicet inter Sanctos Confeſſores de cætero numeraretur, qui hoc ipſum apud Deum ſignis meruit, ac virtutibus obtinere.* Feſtum eius fit 5. Ianuarij. Anc.1161 Feb.7.

7. Alexander idem 3. in Bulla Canonizationis S. Bernardi primi Abbatis Claræuallenſis data Anagniæ, recenſet eius virtutes, & magna de Sacroſancta Romana Eccleſia merita; hæc inter alia enunciat: *In afflictione verò corporis ſui vſque adeo ſibi Mundum, ſeque Mundo reddidit crucifixum, vt confidamus Martyrum quoq; eum merita obtinere Sanctorum; quem confeſſionis ordine, in parſimonia vitæ, tam longum conſtat duxiſſe Martyrium*, & paulò poſt: *Confiſi de miſericordia Dei, cui perſeueranter, & fideliter militauit, necnon & de Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, & eiuſdem Beatiſſimi Confeſſoris meritis præſumentes, eum Apoſtolicæ Sedis Authoritate, catalogo Sanctorum aſcribi mandauimus, & commemorationis ſuæ feſtum decreuimus amodò publicè celebrandum*: die ſcilicet 20. Aug. 1164. Ian.18.

8. Alexander pariter 3. in Bulla Canonizationis S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, & Martyris data Signiæ, hæc inter alia pronunciat: *Quamuis autem de ſanctitate ipſius dubitare non poſſit, qui eius vitam &c, voluit tamen Saluator, & Redemptor noſter eius ſanctitatis inſignia, magnificis irradiare miraculis, vt qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis con-* 1773. Mart.12.

ſtantia, neceſſitates, & pericula pertulit, ſui laboris, & certaminis, in æterna Beatitudine cognoſcatur ab omnibus percepiſſe triumphum: quibus miraculis permotum ſe aſſerit, & ait. *Prædictum Archiepiſcopum canonizauimus, ipſumq́; decreuimus Sanctorum catalogo adſcribendum; Vniuerſitatem itaque veſtram monemus, & auctoritate, qua fungimur diſtrictè præcipimus, vt natalem prædicti glorioſi Martyris diem paſſionis ſuæ ſolemniter ſingulis annis, celebretis.*

1192. Mart. 4. 9. Cœleſtinus 3. Romæ in Bulla Canonizationis S. Vbaldi Epiſcopi Eugubini, commemoratis eius poſt mortem miraculis, & inſtantia Eugubinorum pro Canonizatione ait. *Nos verò opus iſtud intuentes ſenſum, & intelligentias noſtras excedere, quia potiùs eſt diuini iudicij, quàm humani, cùm ipſe ſolus plenè nouerit, qui ſunt eius; ſuſpendimus deſiderium suum, aliquandiù, vt nobis & fratribus noſtris, quid potius agendum eſſet, Spiritus Sancti gratia reuelaret;* & poſt pauca, *Et canonizantes prædictum Sanctum auctoritate BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, qua fungimur, licet immeriti, decreuimus, vt feſtum tranſitus ipſius, ſicut beatiſſimi Confeſſoris apud vos perpetuò habeatur.* Nempe d. 16. Maij, quàm feſtiuitatem renouauit Paulus 5. ſua Conſtitut. 7.

1193. Octob. 6. 10. Cœleſtinus idem 3. in Bulla Canonizationis S. Ioannis Gualberti; poſt memorationem miraculorum, inquit: *Prænominatum B. Ioannem canonizauimus, & numero Confeſſorum Chriſti decreuimus adiungendum*; eius feſtum fit 12. Iulij.

1198. Dec. 23. 11. Innocentius 3. in Canonizatione S. Homoboni Cremonenſis, Bullaq; Romæ edita, vbi dixit ſolam finalem perſeuerantiam ad Sanctitatem exigi, addit: *Duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus ſignorum; opera ſcilicet pietatis in vita, & miraculorum ſigna poſt mortem, vt quis reputetur Sanctus in militanti Eccleſia requiruntur.* Deinde falſis miraculis aliquorum præcipuè Magorum Pharaonis, & Antichri-

chriſti indicatis: ſubiungit: *Ob id nec opera ſufficiunt ſola, nec ſigna: ſed cum illis præcedentibus, iſta ſuccedunt, verum nobis præbent indicium ſanctitatis,* facitq; vim præcipuè in miraculis poſt mortem: & concludit: *de Diuina miſericordia, & eiuſdem Sancti meritis confidentes, ipſum Sanctorum catalogo conſcribēdum duximus, ſtatuentes, vt in die depoſitionis ipſius eiuſdem feſtiuitas deuotè à vobis, & alijs Chriſti fidelibus annis ſingulis de cætero celebretur.*

12. Innocentius idem 3. teſte Nicolao Salio Pragenſi in vita S. Procopij Bohemi, horribili oſtento per ſomnium, & minis eiuſdem Procopij ipſum S. Procopium: *Diuina re facta, Sanctorum numero illum inſerit*, verba ſunt Nicolai: *Miſſoq; in Bohemiam Quidone S. Mariæ trans Tyberim, S. Calixti Presbytero Cardinali Legato à Latere vulgo dicto, Procopium Sanctum, Beatum Felicemq; credendum, vocandum, colendum pronunciat, eique tanti nominis, & tituli apud omnes ferendi Auctor eſt; idque Anno Domini noſtri* 1204. *quarto nonas Iunij*, quo ſcilicet Pontifex erat Innoc. 3. Anno 1204. Iun 2.

13. Gregorius 9. in Bulla Canonizationis S. Franciſci de Aſſiſio data Peruſij, recitata compendioſè ipſius vita; & premiſſa ad cautelam hac clauſula. *Quia tamen Eccleſia militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his qui de ſuo foro non ſunt, auctoritate propria iudicare, vt illos pro vita tantum venerandos aſſumat &c. Omnipotens Deus &c. vitam eius ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam, multis, & præclaris miraculis declarauit*: ob quæ poſt pauca ait: *Ipſum adſcribi decreuimus Sanctorum catalogo venerandum: ſtatuentes vt 4. Nonas Octobris, die videlicet, quo à carnis ergaſtulo abſolutus, ad æthereа Regna peruenit, ab vniuerſali Eccleſia, natalitia eius deuotè, ac ſolenniter celebrentur.* Hæc canonizatio referenda erat poſt ſequentem ordine temporis ſeruato. 1217. Iul. 19.

14. Honorius 3. In Bulla Canonizationis S. Laurentij 1225 Dec. 8.

Archie-

Archiepiſc. Dublinenſis, Regis, ac Reginæ Hiberniæ filij data Reate, poſt memorata eius miracula ante, & poſt mortem, & præcipuè ſeptem mortuos, quorum vnus triduanus erat, ſuſcitatos concludit: *De ipſius igitur ſanctitate tantis certificati miraculis, diuinumq́; ſecuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eundem beatum virum Catalogo Sanctorum aſcripſimus, & annumerandum decreuimus Sanctorum Collegio Confeſſorum, ac inter eos, à Chriſti fidelibus venerandum: ſtatuentes, vt eius veneranda feſtiuitas de cætero annis ſingulis* 18. *Calendas Decembris ſolenniter celebretur.*

Ann. 1232 Iun. 1. 15. Gregorius 9. In Bulla Canonizationis S. Antonij Luſitani de Padua nuncupati, data Spoleti Calendis, Iunij inſinuans id ſpectare ad fidei confirmationem, ait de Domino Deo: *Fideles ſuos, quos ſemper coronat in cælo, frequenter & honorat in ſeculo, ad eorum memorias ſigna faciens, & prodigia, per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur*, & paulo infra: *Beatus Antonius de Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in ſeculo, magnis pollebat meritis, nunc viuens in Cælo, multis coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas certis indicijs comprobetur*. Et §. 3. licet concedat, vt aliquis Sanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſufficere finalem perſeuerantiam in gratia, ſubdit: *Ad hoc tamen vt Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc, & illa ſibi inuicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant, ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis*. De vtriſque igitur certior effectus concludit talibus verbis, vt minimè dubitet S. Antonium hunc eſſe in cœlis, inquit enim: *Ipſum qui corporaliter diſſolutus, cum Chriſto eſſe meruit in cęlis, ne illius honoris debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum à Domino permittere-*

mus vlterius humana deuotione priuari, de fratrum conſilio, & Prælatorum omnium, tum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, catalogo Sanctorum duximus adſcribendum, & paucis interiectis habet: *Mandantes quatenus &c. feſtiuitatem ipſius idibus Iunij annis ſingulis celebretis, & faciatis eadem die ſolemniter celebrari.*

16. Gregorius pariter 9. in Bulla Canonizationis S. Dominici Inſtitutoris Ordinis Prædicatorum, data Reate, atteſtans de Sancta eius vita, ſibi dum viueret cognita; & de miraculis eiuſdem; poſtquam dixit: *ipſum catalogo Sanctorum adſcribi decreuimus*, adiungit. *Statuentes firmiter, ac Vniuerſitati veſtræ præſentibus iniungentes, vt nonis Auguſti, ante diem quo poſita carnis Sarcina diues meritis penetrauit in Sancta ſimul Sanctorum, factus in gloria, eius natalitia celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari.* Ann. 1234 Iul. 3.

17. Gregorius idem 9. in Bulla Canonizationis S. Eliſabethæ viduæ, Andreæ Regis Hungariæ filiæ, data Peruſij Calendis Iunij, nihil dubitans de ipſius gloria ait: *Ipſam mortis nexibus expeditam prouexit ad ſolium luce inacceſſibili luminoſum: de cuius ſtupenda, & inexplicabili claritate procedit, quòd illius Spiritus, & in superni fulgoris abyſſo rutilat, & in huius profundo caliginis multis coruſcat miraculis.* Et ideò §. 4. concludit: *Nos quorum &c. dictam Sanctam, quàm ſibi ad intuitum placuit ſuæ Maieſtatis aſſumere, de fratrum noſtrorum conſilio* &c. *Sanctorum Catalogo duximus adſcribendam*; & §. 5. *Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus 13. Cal. Decembris die videlicet, quo eadem mortis abſoluta vinculis, victura perenniter ad fontem ſuperna prodijt voluptatis, Feſtum eiuſdem &c. celebretis, & faciatis ſolenniter celebrari.* 1235. Iun. 1.

18. Innocentius 4. in Bulla Canonizationis S. Eadmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi data Lugduni: quàm certus ſit de huius Sancti gloria profitetur his verbis: *Gaudet quidem* 1247. Ian. 11.

Ec-

Eccleſia, ſe talem, ac tantum produxiſſe filium, qui percepto iam beatitudinis præmio, firmam ſpem ei tribuat de ſalute. Et paulò poſt: *manifeſtè declarat ad hæreditatis æternæ participium admittendos, qui ipſam matrem Eccleſiam fide, ac Opere profitentur.* Et poſt compendium vitæ ipſius, ac miracula relata conclu lit: *Nos de Sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum eiuſdem S. Eadmundi, curioſa inquiſitionis ſolemnitate, ac diſtricti examinis diſcuſſione præmiſſis, plenariam certitudinem obtinentes, ipſum Sanctorum catalogo adſcribendum, vel iam aſcriptum duximus nunciandum.* Loquitur ergo de catalogo cæleſti, & feſtum inſtituens ait: *Per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus 16. Cal. Decembris (cùm tunc felix ipſius anima de carnis liberata carcere, ad aſtra conſcendens, auram cæleſtem adiuerit, paradiſi delicijs fruitura) feſtum eiuſdem deuotè, ac ſolemniter celebretis.*

An. 1253. Mart. 24. 19. Innocentius idem 4. in Bulla canonizationis S. Petri Martyris Veronenſis Ordinis Prædicatorum, data Peruſij de illo ſic loquitur: *Sanctorum Collegio nouum munditiæ lilium eſt exortum, vnde factum eſt magnum in cælo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus, & ſolemnitatem agentibus tanti feſti.* Narrat deinde vitam eius, martyrium, ac miracula poſt mortem, & §. 9. inquit; *Cæterum quia conuenit, vt quem Dominus in Cælo magnificat, mundus colat: Nos de Sanctitate, vitæ ac veritate miraculorum &c. plura, & maiora de ipſo comperimus; confiſi de Omnipotentis Dei virtute, authoritate quoq; Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, eius, ac noſtra Sanctorum Martyrum catalogo duximus adſcribendum:* & mox: *Per Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus tertio calendas May, feſtum eiuſdem deuotè, ac ſolenniter celebretis.*

1253. Sept. 17. 20. Innocentius idem 4. in Bulla Canonizationis S. Staniſlai Epiſcopi Cracouienſis in Polonia, data Aſſiſij 17. Septembris, certus de ipſius gloria dicit: *Ciuitatem illam honoris,*

ris, & gloriæ corona inſignitus inhabitat, vbi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens, quod delectat; & de vi miraculorum: *Ecce Glorioſus in Sanctis ſuis Dominus, volens eiuſdem plenitudinem Gloriæ, indicijs exprimere manifeſtis, tot, & tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare &c.* & concludit *B. Stanislaum Epiſcopum, dignè Sanctorum Catalogo duximus aſcribendum, &* §. 7. *Per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus* 8. *Idus Maij &c. feſtum ipſius celebretis, & faciatis ſolenniter celebrari.*

21. Alexander 4. in Bulla Canonizationis S. Claræ de Ciuitate Aſſiſij Ord. Monialium S. Franciſci data Agnaniæ 26. Sept. poſt epitomen vitæ, ac miraculorum eius poſt mortem § 8. ait. *Lætetur, & deuota turba fidelium, quòd Rex cælorum & Dominus, quam in Sponſam ſibi elegerat, ad ſuum præcelſum, & præclarum Palatium cum gloria introduxit: Nam & Sanctorum congaudent agmina, quod in ſuperna eorum patria, nouella regalis Sponſa nuptiæ celebrantur:* Aſſertaque certitudine miraculorum eius addit: *Nos de communi fratrum &c. de omnipotentia diuina confiſi, auctoritate BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ac noſtra ipſam catalogo Sanctarum Virginum duximus adſcribendam &c. Per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus pridie Idus Auguſti, feſtum eiuſdem Virginis deuotè, & ſolenniter celebretis.*

22. Vrbanus 4. in Bulla Canonizationis S. Richardi Epiſcopi Ciceſtrienſis in Anglia, data Viterbij: hæc notanda habet: *Exultent in Gloria Sancti de nouo Celi conciue:* & enarratis eius ſanctis morib. miraculiſq; poſt mortem, vt doceret Canonizationem Sanctorum ſpectare ad Fidei negotium addit contra infideles: *Signis ſaltem euidentibus acquieſcant, qui in veri dogmatis teſtimonijs non quieſcunt. Operibus ſaltem credant, qui pertinaciter Euangelicæ doctrinæ non credunt &c. vt in Domini veritate directi, rectius huius B. Viri* Anno 1260. Apr. 22. ſed Canonizatio fuit 11. Ian.

vias Fidei, & operis veſtigijs inueſtigent. Cenſet ergo miraculis hiſce, non ſolum ſanctitatem, & gloriam viri, ſed etiam veritatem Fidei Catholicæ certificari; Deinde concludit §. 16. *Cæterum, quia ſicut de ipſo pro certo tenet concepta ex his certa, & indubitata credulitas; Rex Cœleſtis ſic eum honorari decreuit in Cœlis &c. Nos in feſto B. Vincentij 11. Kal. Februarij Sanctorum Catalogo cum celebri gaudio duximus adſcribendum &c. Per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus 3. Nonas Aprilis (quo vtiq; die ipſius beatus Spiritus de præſentis vitæ exilio tranſiuit ad patriam, & ad inacceſſibilem lucem acceſſit) celebriter eius feſta annis ſingulis celebretis.*

Ann. 1267 Mart. 26. 23. Clemens 4. in Bulla Canonizationis S. Heduuigis Duciſſæ Poloniæ data Viterbij, nihil dubitans de ipſius gloria, poſt enarratam eius vitam ait. *Regali itaq; diademate inſignis, cœleſti regnat in patria*, & poſt narrata miracula, de quorum veritate *conſtitiſſe euidenter* aſſerit; concludit: *Sanctarum Catalogo decreuimus adſcribendam; immò veriùs denunciauimus iam adſcriptam*. Ergo verè, & coràm Deo Sanctorum cœleſti in catalogo ſcriptam pronunciat: demum ait: *Per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus feſtum ipſius Sanctæ Idibus Octobris, die videlicet, qua de via migrauit ad patriam &c. attenta deuotione celebretis.*

1297. Aug. 17. 24. Bonifacius 8. in Bulla Canonizationis S. Ludouici Regis Franciæ, data apud Vrbem Veterem, d. 11. Auguſti, certus de ipſius gloria non dubitat dicere de Patre luminum: *Eum in ætheris ſedibus collocauit, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat, felicitatis æternæ dulcoribus potiturus*. Vita deinde ipſius, Bullæ inſerta, & præcipuis miraculis, §. 3. concludit. *Die Dominico 3. Idus Auguſti Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum*. Et §. 34. *Per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus in craſtinum B. Bartholomæi Apoſtoli, cum felix ipſius anima &c. feſtum huius Sancti deuotè, & ſolenniter, &c.*

25. Clemens 5. in Bulla Canonizationis S. Petri de Morrono, Summi Pontificis Romani, Cœleſtini Quinti nuncupati, recenſitis eius vita, & miraculis, ante, & poſt mortem aſſerit de illo: *Stola immortalitatis induitur, ac ſedens cum principibus, ſolium gloriæ ſempiternæ ſemper clarum tenet.* Et §. 27. *Quia dignum eſt, vt quem in Cęlo ſurſum Deus glorificat, hic inferiùs ad ſuum patrocinium Mundus colat: Nos de ſanctitate vitæ, ac veritate miraculorum Sancti huius &c. plenam, & firmam certitudinem obtinentes; confiſi de Omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoq; BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, & noſtra, ipſum Sanctorum Confeſſorum Catalogo duximus adſcribendum.* Et §. 28. *Per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus 14. Kal. Iunij feſtum eiuſdem &c.* nota verba illa: *plenam, & firmam certitudinem.* Ann. 1313 Maij 5.

26. Ioannes 22. In Bulla Canonizationis S. Ludouici, Caroli Regis Siciliæ filij, & Epiſcopi Toloſani, data Auenione, prænarratis vita, & miraculis eius poſt mortem concludit § 29. *Quia conuenit, vt quem Dominus in Cęlo magnificat, Mundus colat: Nos &c. de Omnipotentis Dei virtute confiſi, auctoritate quoq; BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, & noſtra, ipſum 7. die Aprilis Sanctorum Confeſſorum catalogo duximus adſcribendum, &* §. 30. *Per Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus 14. Kal. Septembris feſtum eiuſdem &c.* 1317. Apr. 7.

27. Ioannes idem 22. in Bulla Canonizationis S. Thomę Epiſcopi Herfordienſis in Anglia, data Auenione, recenſitis eius vita de miraculorum euidenti teſtimonio ait §. 11. *Factus eſt eximius Cęli ciuis, & decebat multum Diuinæ potentiam Maieſtatis, vt Sanctum hunc in cęlis regnare ſecum per ſignorum euidentiam fidelibus declararet, ipſum coruſcare in terris miraculis multis fecit.* Quorum quædam inſerit Bullæ, de quorum veritate inquit §. 23. *plenariè certi facti confiſi de Omnipotentis Dei miſericordia, auctoritate quoq; BB. Pe-* 1320. Apr. 17.

tri, & Pauli Apoſtolorum eius, & noſtra in Sanctorum Confeſſorum catalogo duximus adſcribendum, & §. 24. Per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus 6. Nonas Octobris *feſtum eius &c.*

Ann. 1323 Iul. 18. 28. Idem pariter Ioannes 22. in Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis, data Auinione; Vita ipſius compendioſè prænarrata loquens de miraculis poſt mortem ait, dignum fuiſſe vt *Deus aſſumptum in Cęlis ſanctificatum fore hominibus declararet, multis magnifiſq; miraculis, clariſq; ſignis &c. vt illud Pſalmi meritò de ipſo dicamus. Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum ſuum, ſicq; vita eius atteſtatur miraculis, vt illius miracula vitæ teſtimonium perhibeant,* de quibus pauca recenſens ſubdit §. 19. *Hæc ſunt igitur teſtimonia tua Deus, quæ de hoc viro iuſto nobis credibilia facta ſunt nimis. Nam ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. Quo animam enim cęlum poſſidere iam credimus, intercesſorem ipſum expectamus, ac inter Sanctorum agmina, quaſi ſtellam matutinam ipſum fidimus eſſe locatum.* Poſt hæc ad finem §. 21. *Nos &c. Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ac noſtra, eum Sanctorum Confeſſorum Catalogo duximus adſcribendum.* Et §. 22. *per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis Martij feſtum &c.*

1347. Iun. 21 29. Clemens 6. in Bulla Canonizationis S. Iuonis Presbyteri Trecorenſis in Gallia, data Auenione, concludit: *Ipſum canonizauimus, & Sanctorum catalogo adſcribendum mandauimus, & vt Sanctum deinceps à fidelibus venerari. Feſtum ipſius die 19. Maij, quo eius anima mole carnis exuta cælum petens cum ſcala gloriæ, cæleſtibus ciuibus eſt coniuncta; ſtatuentes à fidelibus annis ſingulis celebrandum.*

1391. Oct. 7. 30. Bonifacius 9. in Bulla canonizationis S. Brigittæ de Regno Suetiæ, data Romæ, quam confirmauit Martinus 5. Florentiæ Kalendis Iulij anno 1419. poſt vitam, ac miracula

narrata ſic eam canonizat. *Ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Fily, & Spiritu Sancti, & ad exaltationem Orthodoxæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum &c. Anthoritate ipſius Dei Omnipotentis Patris, & Fily, & Spiritus Sancti, ac Beator. Apoſtolor. Petri, & Pauli, atq; noſtra, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus, diffinimus, ſiue pronunciamus Beatam Brigittam Sanctam eſſe, & tanquam Sanctam ab vniuerſali Eccleſia venerari, ac Sanctorum catalogo adſcribi debere, & ipſam nunc adſcribimus de præſenti*: & §.52. *ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet in die, qua illam poſt deuictum, triumphatumq; mundum, in perpetuas æternitates præſens vita parturijt, videlicet 10. Kal. Auguſti feſtum ipſius, & officium, ſicut pro vna Sancta non Virgine, nec martyre deuotè, & ſolemniter celebretur*. Sed in Breuiario Romano fit feſtum translationis Corporis eius die 7. Octob.

31. Eugenius 4. in Bulla Canonizationis S. Nicolai de Tolentino data Romæ, præmiſſis quibuſdam de vita, & miraculis eius, etiam poſt mortem §. 11. hæc inſigniter notanda habet. *Quæ omnia trecenta, & vnum miracula, ad quorum probationem examinati fuerunt trecenti ſeptuaginta, & vnus teſtis in Regiſtris, annotata coràm nobis in publico Conſiſtorio relata fuerant. His itaq; et alijs miris operibus Sancti huius aſtruentibus Sanctitatem, & Chriſtianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente*, & §. 12. *De Omnipotentis Dei virtute, & Beator. Apoſtolor. Petri, & Pauli, ac noſtra auctoritate confiſi, eundem Beatum Nicolaum Sanctorum Confeſſorum catalogo duximus adſcribendum*, & §. 13. Per *Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandātes, quatenus 4. Idus Septembris, quo Sanctus ipſe migrauit ad Dominum, feſtum eiuſdem &c.* An. 1447. Febr. 1.

32. Nicolaus 5. in Bulla Canonizationis S. Bernardini Senenſis Romæ data, poſt multa de miraculis eius, etiam poſt mortem, *quæ non in angulis, ſed publicè, & in conſpectu multitudinis fuerant patrata*, vt ibidem aſſeritur §. 13. ait: *Nos his* 1450. Maij. 24.

his compertis, ne Spiritui Sancto reſiſtere videremur, qui per os propheticum laudari Deum in Sanctis ſuis iubet &c. vbi poſt incredibilem moram, & cautelam, tandem decreuit in die Pentecoſtes eum canonizandum, & reipſa canonizauit illis verbis, quæ ſummam infallibilitatem inſinuant, ait enim §. 18. *Ergo quia non poteſt Veritas ipſa mentiri, quæ eſt Vnigenitus Dei Filius, qui per os carnis aſſumptæ loqnutus eſt dicens: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit; Cum ſciamus hunc Sanctum virum miniſtraſſe Chriſto, & ipſum ſequutum fuiſſe vſq; ad conſummationem vitæ, minimè dubitare permittitur, quin potiùs certiſſimum tenere, quòd vbi eſt Chriſtus Dei Filius, ſit etiam miniſter ſuus S. Bernardinus. Ergo quia cum Chriſto ſunt omnes Sancti eius, de omnipotentis Dei miſericordia, qui non deſerit Eccleſiam ſuam*, hoc eſt non ſinit eam errare: *Et Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi &c. Decernimus, declaramus, & ordinamus S. Bernardinum inter Sanctos Dei ab vniuerſa Eccleſia debere deputari, & Sanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli. Ipſumque canonizauimus, & pro canonizato haberi volumus. Mandantes feſtum &c.*

An. 1455. Iun. 29. 33. Calliſtus 3. Anno 1455. in Feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli canonizauit S. Vincentium Valentinum Ordinis Prædicatorum, ſed quia ſuperueniente obitu Calliſti, eius Bulla non fuit confecta, Pius 2. eius ſucceſſor, eam confectam publicari iuſſit anno 1458. Kal. Octobris, in qua illud ſignanter dicitur de miraculis. *Eum aſſecutum fuiſſe gratiam, quàm Deus omnipotens Sanctis, & electis ſuis conceſſit, & conſimilia ſigna ex eo conſequuta fuiſſe, quæ ad cognoſcendum fideles ac Dei miniſtros Veritas in ſuo Euangelio demonſtrauit, pro ſua informatione Eccleſiæ, ne poſſet errare, ſic inquiens ſigna autem eos qui crediderint &c.*

1461. Iun. 29. 34. Pius 2. in Bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis

ſis data Romæ, poſt multa de vita, & miraculis eius §. 15. ait: *Ad honorem Omnipotentis, & æterni Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ac noſtra, Catharinam Senenſem &c. in Cæleſti Ieruſalem inter beatarum Virginum choros; iam pridem fuiſſe receptam, & æternæ Gloriæ corona donatam declaramus, eamque tanquam Sanctam, publicè priuatimq́; colendam eſſe decernimus, & diffinimus &c. ſtatuentes feſtum eius &c.*

35. Sixtus 4. in Bulla Canonizationis S. Bonauenturæ Cardinalis data Romæ, ſecurè ait. *Sanctus Bonauentura, tanquam nouum ſidus ex hac lacrymarum valle, ad Cæleſtem, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem migrare emeruit.* Et poſt multa de meritis, ac miraculis eius §. 19. Concludit: *Confidentes igitur quòd in hac canonizatione non permittat nos Deus errare &c. Dei omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolor. eius auctoritate confiſi, Beatæ memoriæ Bonauenturam Belneoregienſem &c Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei catalogo adſcribendum, adijciendum, ac aggregandum fore, ac fideliter firmiterq́; teneri debere decernimus* &c. & §. mandat eius feſtum celebrari: Vult ergo teneri de fide: *fideliter firmiterq́;* Ann. 1482 Apr. 14.

36. Innocentius 8. in Bulla Canonizationis S. Leopoldi Auſtriæ Principis, data Romæ, ſecurè de illo enunciat: *Æternæ retributionis, & pacis præmia à Deo Opt. Max. eſt conſequutus*, enumeratiſq́; ipſius meritis, ac miraculis §. 6. inquit: *Maxima ſunt hæc ſanctitatis, & diuinæ approbationis ſigna, clariſſimis documentis comprobata*, & ſub finem §. 15. *Ad laudem igitur Æterni Dei, Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad fidei Catholicæ robur, & ornamentum, & ad Religionis Chriſtianæ cultum augendum, auctoritate D. N. IESV CHRISTI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, & noſtra de Venerabilium fratrum noſtrorum con-* 1485. Ian. 6.

ſilio

ſilio ſtatuimus, deffinimus, & pronunciamus S. Leopoldum Auſtriæ Marchionem Sanctorum Catalogo adſcribendum, & publica veneratione pro Sancto obſeruandum; ſicut & nos illum in præſentiarum manifeſta voce Sanctorum Catalogo annectimus, ac Minorum Confeſſorum numero adiungimus, publicè Sanctum deffinimus, profitemur, & veneramur. Et §. 16. *ſtatuit feſtum eius celebrari debere d. 15. Nouembris.*

Ann. 1519 Maij 1. 37. Leo 10. in Bulla Canonizationis S. Franciſci de Paula, data Romæ, commemoratis per compendium vitæ ipſius meritis, ac miraculis etiam poſt mortem, §. 37. aſſerit rogaſſe omnes, qui in Conſiſtorio aderant. *Vt orationibus, ac ieiunijs Eccleſiam Dei iuuarent, ac ne eam Altiſſimus modo aliquo in huiuſmodi canonizationis officio errare permitteret.* Et §. 39. agit gratias Deo: *quòd ad Beatum ſeruum ſuum debitis honoribus proſequendum corda noſtra illuminare dignatus eſſet;* ideoque decreuit pro Canonizatione primam diem Maij, quæ anno illo 1519. erat Dominica in Albis. Et ipſum canonizauit hac formula. *Ad honorem omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, ac Ordinis Minimorum Conſolationem, & incrementum, auctoritate D. N. IESV CHRISTI, Beatorumq́; Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, & noſtra &c. decernimus, & deffinimus bonæ memoriæ Franciſcum de Paula eiuſdem Ordinis Minimorum Inſtitutorem in Cœleſti Ieruſalem inter BB. Choros iam receptum, æternaque gloria condonatum fuiſſe, ac Sanctorum Confeſſorum Catalogo adſcribendum &c.* Et §. 40. *Statuentes eius feſtum die 2. Menſis Aprilis ab vniuerſali Eccleſia annuatim celebrandum.*

1523. Maij 31. 38. Adrianus 6. in Bulla Canonizationis S. Bennonis Epiſcopi Miſnenſis, data Romæ, breuiario vitæ, & miraculorum eius præmiſſo, eorum præſertim, quæ poſt mortem eius facta ſunt, tandem §. 7. reſoluit. *Ad honorem Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtia-*

ſtia-

ſtianæ Religionis augmentum; auctoritate D. N. Ieſu Chriſti, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus, bonæ mem. Bennonem olim Epiſcopum Miſnenſem, Sanctum eſſe, & in Sanctorum catalogo adſcribendum &c. Statuentes; vt ab vniuerſali Eccleſia quolibet anno feſtum ipſius, & officium, ſicut pro vno Confeſſore Pontifice 16. Iunij, hoc eſt die depoſitionis ſuæ deuotè, & ſolemniter celebretur. Infremuit, audita hac canonizatione, horrendum illud Auerni monſtrum Lutherus, appellans hunc Sanctum, Idolum Papiſticum; ſed fruſtra inuidit, & oblatrauit eius gloriæ, & adimpletum hic quoq; illud Pſalmi 111. *Peccator videbit, & iraſcetur: dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.*

39. Adrianus idem, eodem eiuſdem anni die, canonizauit S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, ſed ſuperueniente obitu, litteræ Canonizationis eius expeditæ fuerunt à Succeſſore ipſius Clemente 7. eodem anno 26. Nouēbris. In hac Bulla, præmiſſa de more relatione Vitæ, ac Miraculorum, etiam poſt mortem, narratur Adrianum in triduum orationes, & ieiunia indixiſſe: *Vt Deus omnipotens ipſi Adriano, quod factu optimum in hac re foret oſtendere dignaretur, nec pateretur militantem Eccleſiam ſuā errare, quæ ſe triumphanti conformare conſueuerat.* Ergo intentio Pontificum in hoc; eſt de veritate abſoluta, & conformi illi, quam Sancti vident in Cœlo. & §. 31. Clemens 7. aſſerit: *Adrianus Dei nutum, & voluntatem ſequens &c. De omnipotentis Dei &c. Antoninum Florent. Sanctum eſſe, & aliorum Sāctorum Catalogo adſcribendum, & aggregandum fore, ac fideliter, firmiterq; teneri debere decreuit &c.* eius verò feſtum ſtatuit, ac mandat 2. Maij, qua Sancti huius Anima Cœlum aſcendit.

Anno 1523. 31. Maij.

40. Sixtus 5. in Bulla Canonizationis S. Didaci Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, dicti Complutenſis, relatione facta de Vita, & Miraculis, ait ſe pro die Canonizationis

1588. Iulij 2.

nis decreuiſſe feſtum Viſitationis Deiparæ, indictis precibus. eleemoſynis, ieiunijs, & ſacrificijs, itemq; de cœremonijs in hac Canonizatione adhibitis fusè deſcriptis hæc notatu digniſſima interſerit. *Inuocato Sancto Creatore Spiritu, cuius conſilio, & ſapientia Sancta Eccleſia columna, & firmamẽtum veritatis regitur, eiuſq; numen ſæpè à nobis ex intimo corde, multis etiam lacrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes: Ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti, ad exultationem ſupernæ, & triumphantis Hieruſalem Matris noſtræ, ad exaltationem Catholicæ Fidei &c. Auctoritate eiuſdem Sanctæ Trinitatis &c. B. Fr. Didacum in Sanctorum catalogum &c. eumq; vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus.* Diem verò feſtum eius ſtatuit eſſe 12. Nouembris.

Anno 1594. Apr. 17. 41. Clemens 8. in Bulla Canonizationis S. Hyacinthi Poloni Ord. Prædicatorum Romæ data, ſupponit pro certo canonizatos à Sede Apoſtolica haberi pro Sãctis in Cęlo, dum dicit: *Nam cum aliqui Serui Dei excellenti vitæ ſanctitate, & miraculis inſignes iam cum Chriſto in Cœlo regnantes, in terra quoq; ſumma Romani Pontificis auctoritate, Sancti eſſe declarantur, Rex ipſe ſempiternæ maieſtatis, & gloriæ in Sãctorum concilio glorificatur.* Quæ minimè verificarentur, niſi tales reuera Sancti eſſent. Et nota illa verba *Sancti eſſe declarãtur.* Narratur deinceps vita cum miraculis ante, & poſt mortem, & refert cęremonias, ac pompam in hac canonizatione adhibitam, quæ fuit in Dominica in Albis, & formulam canonizatis, in qua inter cætera dicitur: *Ad honorem Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ &c. Auctoritate Omnipotentis Dei &c. decreuimus, ac diffiniuimus bonæ mem. Hyacinthum Polonum &c. Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum*, eius autem feſtum mandat fieri 16. Auguſti.

1595. Iul. 9. 42. Clemens idem 8. in Bulla, qua inſtituit feſtum S. Romualdi

mualdi

mualdi Abbatis Ordinis Camaldulenſium fundatoris celebrandum 7. Februarij, quo facta eſt eius translatio, de illo dicit: *A Deo exaltari meruit longitudine dierum in terris, immortalitate, & Sanctorum gloria in Cælis coronatus*. Mandat autem eius feſtum inſeri in Kalendario Romano, & eius officium aſſignat; & mandat in virtute ſanctæ obedientiæ has litteras ſolemniter publicari. Fuerat verò canonizatus quinquennio poſt mortem ſuam, & à Paulo 3. in Bulla anni 1534. die 3. Nouembris quater appellatur *Sanctus Romualdus*. Canonizatus fertur anno 1032.

43. Clemens pariter 8. in Bulla Canonizationis S. Raymundi Barcinonenſis Ord. Prædicat. data Romæ, in qua fusè deſcribuntur geſta; miracula ante, & poſt mortem, & ritus ſolemnis canonizationis, & orationes præmiſſæ, vbi noto illa verba. §. 66. *Orantes in Spiritu, & in ipſo vigilantes quod nos facturi eramus, Deum precarentur, vt daret nobis Spiritum Sapientiæ, & Reuelationis, quo hæc arcana cæleſtia, quæ ratione humano comprehendi non poſſunt, cognoſceremus, & illuminaret oculos cordis noſtri, vt quid in hac grauiſſima cauſa ſtatuendum eſſet, deliberare poſſemus*. Non ſolis igitur hominum teſtimonijs, ſed potiſſimum diuinæ inſpirationi, ac Spiritui Sancto occultè, ſed ſufficienter reuelanti innititur certitudo gloriæ Sanctorum canonizatorum. Dies canonizationis fuit Dominica in Albis 29. Aprilis, qua Chriſtus clauſis ianuis ingreſſus eſt ad diſcipulos, ſicut S. Raymundus clauſis ianuis ingreſſus eſt Cœnobium Barcinone. Formula Canonizationis fuit hæc. *Implorata Spiritus Sancti ope ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Religionis Chriſtianæ augmentum, auctoritate eiuſdem S. Trinitatis &c. B. Raymundum à Peniafort Sanctum eſſe definiuimus, ac SS. Confeſſorum numero, & Catalogo adſcribendum eſſe decreuimus, prout per præſentes definimus, decernimus, & adſcribimus, ſtatuentes, vt ab vniuerſa Eccleſia quolibet anno*

Ann. 1601. Ap. 29.

die 7. Ianuarij feſtum eius, & officium &c.

Ann.1608 Maij.29. 44. Paulus 5. in Bulla Canonizationis S. Franciſcæ Romanæ, data Romæ, poſt vitæ, & miraculorum prænarrationem, teſtibus 132. comprobatorum, eadem formula, quam indicauimus nu. 42. & 43. dicit: *Beatam Franciſcam Romanam Sanctam eſſe definimus &c.* & diem feſtum eius celebrari mandat 9. Martij.

1610. Nou.1. 45. Idem Paulus 5. in Bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi, data Romæ, relatis quæ ſpectant ad vitæ ſanctimoniam, & miracula, etiam poſt mortem patrata, ſubiungit canonizationis formam: *Ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ac Fidei Catholicæ exaltationem &c. Auctoritate Dei &c. Carolum Borromæum Sanctum eſſe definimus &c.* ſtatuitque vt feſtum eius 4. Nouembris ab vniuerſa Eccleſia celebretur.

1622. Mar.12. 46. Gregorius 15. in Bulla Canonizationis S. Tereſiæ Virginis, data Romæ, narratis vita, & miraculis poſt mortem ait monuiſſe ſe, vt in orationibus, & eleemoſynis perſeueraretur: *Vt in tanto opere exequendo, ſplendor Domini Dei noſtri eſſet ſuper nos, qui Opus manuum noſtrarum ad perficiendam eius voluntatem dirigeret.* Et formula conſueta. *Ad honorem S. & indiu. Trin. &c. & Fidei Catholicæ exaltationem &c. Auctoritate Omnip. Dei &c. Tereſiam Virginem de Abula Sanctam eſſe definimus; eiuſq.* feſtum ſtatuit die 5. Octobris, quæ ob correctionem kalendarij euaſit 15. Octobris.

1622. Mar.12. 47. Gregorius 15. Anno 1622. Martij 12. Canonizauit S. Philippum Nerium, ſed eius Bullam edidit Vrbanus 8. anno 1623. die 6. Auguſti, in qua dicitur §. 16. *Sed quoniam non audebat Sancta Sedes librum æternæ vitæ perſcrutari, niſi Spiritu Sancto aperiente, velle ſe diutius immorari, ac maturius procedere, & propterea omnes in Domino rogauit, vt ſecum vna Orationibus, ieiunijs, ac eleemoſynis diuinæ voluntatis arbitrium explorarent.* Refert deinde virtutes eius, ac mi-

miracula etiam poſt mortem, & §.93. recitat formam Canonizationis: *Ad honorem Sanctiſſ. & Indiu. Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem &c. auctoritate eiuſdem Dei &c. deſiniuit dictum Philippum Nerium Florentinum, dictæ Congregationis Oratorij Fundatorem, vnà cum Beatis Iſidoro, & Ignatio, ac Franciſco, nec non Thereſia prædictis Sanctum &c.* Feſtum verò eius inſtituit ad 26. Maij.

48. Gregorius idem 15. Anno 1622. die 12. Martij canonizauit S. Ignatium Loiolam Societatis Ieſu Fundatorem; ſed Bullam Canonizationis expediuit, & promulgauit Vrbanus 8. anno 1623. ſub die 6. Auguſti, in qua §. aſſeritur de Societate noſtra: *Inter alia pietatis, & charitatis opera Gentilibus conuertendis, Hæreticis ad Fidei veritatem reuocandis, & Romani Pontificis poteſtati tuendæ ex inſtituto ſe totam impedit.* Narrat deinde eximias S. Ignatij virtutes, ac miracula, etiam poſt mortem, & §. 44. quomodo Gregorius 15. hortatus ſit omnes: *ad iteratas preces, ieiunia, & eleemoſynas: vt in tanto opere exequendo, lumen eius, qui lucem habitat inacceſſibilem implorarent, ad ea peragenda, quibus diuinæ gloriæ honor, & Catholicæ Eccleſiæ Fides augeretur.* Subiungitque: *Poſt ſacros hymnos, Litanias, aliaſq́; preces, & poſt imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem Sanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum; auctoritate eiuſdem Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, decreuit, & definiuit dictum Ignatium Loiolam, prædictæ Societatis Fundatorem, unà cum B. Iſidoro Agricola; & Franciſco Xauerio, ac B. Philippo; nec non Thereſia; Sanctum, & Sanctorum Catalogo adſcribendum &c. Feſtum verò eius ſtatuit ad die 31. Iulij.* Anno 1622 Mar. 12.

49. Conſimiles planè formulæ canonizandi videri poſſunt in Bullis Vrbani 8. anno 1625. qua canonizauit S. Eliſabetham Reginam Portugalliæ, & *Alexandri* 7. anni 1659. 1625. 1659.

quo

quo S. Thomam de Villanoua, & anni 1665. quo S. Franciſcum de Sales canonizauit.

CAPVT III.

Infallibilitas Sanctitatis, & Gloria Sanctorum Canonizatorum Abſoluta, & de Fide credibilis, deducitur Ex Intentione Summorum Pontificum, & formulis canonizandi Capite II. relatis: Duodecim Argumentis.

1. PRimò extra controuerſiam eſt apud Catholicos, Petro Apoſtolo, & ſucceſſoribus eius promiſſam fuiſſe à CHRISTO indefectibilitatem, ſeu immunitatem ab omni errore, in determinandis quæſtionibus, ſoluendiſque dubijs ad Fidem Chriſtianam ſpectantibus: per illa ſcilicet verba Lucæ 22. *Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut criticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Deficeret autem fides in ea parte, qua Succeſſor Petri doceret fratres aliquid credendum, quod coràm Deo falſum eſſet, neq; in fide fratres, ſed in errore contrario fidei confirmaret. Nec debet hæc promiſſio reſtringi ad ſolos articulos fidei primarios, ſiue in Symbolo fidei contẽtos, ſed ad omnes extendi veritates, de quibus ſubinde ſucceſſu temporum dubitare contingeret, an eſſent credendæ, & an aliquo modo ad fidem Chriſtianam pertinerent. Gratis enim reſtringeretur promiſſio, & prouidentia Chriſti erga ſuam Eccleſiam, de qua quando innititur baſi, id eſt Petra, ſuper quam ipſam fundauit Matth. 16. dixit Apoſtolus ad Timoth. 3. *Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*, & cui Dominus idem Ioann. 14. pollicitus eſt: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternũ, Spiritum veritatis.* & infra verſu 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit*

Diuinæ Promiſſiones.

omnia,

omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. & rurſum Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Qui dixit *omnia,* & *omnem veritatem*, nihil excepit, nullam veritatem excluſit, ſiue illa ſit ſpeculatiua, & dogmatica, ſiue practica, & præceptiua operis ad conſequendam vitam æternam, & ſiue ſit iuris meri, ſiue mixta ex iure, & facto ſpectante non ad forum tantum externum, temporalemq; felicitatem, ſed præcipuè ad felicitatem ſempiternam: de his enim potiſſimum valet Chriſti aſſertio ad Petrum Matth. 16. *Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis,* vbi, vt obſeruauit Bellarminus, non eſt dictum *Quemcunque*, ne intelligeretur ſolum clauis iuriſdictionis ad abſoluendum à culpa, & pœna, ſed Quodcunque, vt per clauem quoque ſcientiæ ſoluere poſſet quælibet dubia ad fidem, religionemq; Chriſtianam pertinentia, ſiue primis Eccleſiæ temporibus manifeſtanda, ſiue poſteà, vt ſonant illa verba: *quæ non poteſtis portare modò.* & illa: *omnem veritatem.* & illa: *& quæ ventura ſunt annunciabit vobis.*

2. Ad fidem autem Chriſtianam ſpectare, quòd indubitanter in tota Dei Eccleſia credatur illas perſonas in particulari eſſe Sanctas; & Gloria Beatificæ viſionis iam frui, quas Petri ſucceſſor declarauerit, ac definiuerit eſſe Sanctas, & catalogo Sanctorum adnumerandas, multis argumentis cap. 4. afferendis comprobabitur; nũc autem ex verbis Summorum Pontificum in Sanctis canonizãdis colligendum adſtruimus. Nimirum ex illis *Ad exaltationem, vel robur Fidei Catholicæ,* de quibus cap. 11. nu. 15. 30. 34. 36. 37. 38. 40. 43. 44. 45. 46. 47. 48. Roboratur enim, exaltaturq; Fides Catholica, tunc maximè, cum Deus tot, & talibus poſt mortem alicuius Chriſti fidelis miraculis famam ſanctitatis eius ex tenore vitæ antea per Eccleſiam diuulgatam ita confirmat, ac ſuo velut ſigillo communit, vt ſuum Vicarium poſt exquiſitiſſimum

corum examen, & conſenſum communem Fratrum, occulto inſtinctu promoueat, & inducat ad definiendum eos eſſe Sanctos, & Gloriæ cæleſtis præmium conſequutos, qui vſque ad mortem eam fidem profeſſi ſunt, quam tenet, ac profitetur Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, & ſecundùm illam operati ſunt. Quod adeò verum eſt, vt hoc ſit vnum de præcipuis motiuis credibilitatis Fidei Orthodoxæ. Ergo cum ſaltem indirectè, & implicitè agatur hic de negotio Fidei, infallibilem eſſe huiuſmodi Pontificis Definitionem, omniſq; erroris expertem fatendum eſt. Hinc Gregorius 9. in Bulla Canonizationis S. Antonij Luſitani dixit de prodigijs poſt mortem eius: *Per quæ prauitas confundatur hæretica, & Fides Catholica confirmetur*, & Innocentius 4. in canonizatione S. Eadmundi dixit de à Deo miraculis poſt mortem ad eius honorem editis: *Manifeſtè declarat ad hæreditatis æternæ participium admittendos, qui ipſam Matrem Eccleſiam fide, ac opere profitentur*, vt retuli cap. 2. nu. 15. & 18.

2. *Secundò* ipſimet Sũmi Pontifices non obſcurè alijſquoq; verbis ſignificarunt, credulitatem de Sanctitate Gloriaq; Canonizatorum ſpectare ad Fidem, vt cum Adrianus 6. cap. 2. nu. 39. relatus dixit de S. Antonino: *Sanctum eſſe fideliter firmiterq; teneri debere*: quod ijſdem prorſus verbis decreuerat de S. Bonauentura Sixtus 4. relatus à nobis nu. 35. quæ non meram fidem humanam, qualem Hiſtoricis fide dignis debēt adhibere prudentes homines, nec ſolam certitudinem moralem ſonant, ſed firmitatem fidei Chriſtianæ, qualem intelligunt Theologi, & Canoniſtæ in Cap. *Firmiter de Summ. Trin. & Fid. Cath.* ideò ab Vrbano 4. vt retuli c. 2. nu. 21. appellatur hæc; *Certa, & indubitata credulitas*, & nu. 2. *firmiter, ac fideliſſimè*.

Firmitas, & fidelitas huius veritatis.

3. *Tertiò*. Idipſum ſatis inſinuant Romani Pontifices, cùm dicunt ſuam in hoc puncto deciſionem, ratam eſſe in Cœlo, & conformem veritati in Cœlo à Deo, & Beatis cognitæ: veluti

luti cum Adrianus 6. de quo Nos cap. 2. nu. 39. dixit triduanis precibus rogatum Deum, *ne pateretur militantem Eccleſiam ſuam errare, quæ ſe triumphanti conformare conſueuit.* Et cum Clemens 8. de quo cap. 2. nu. 41. aſſeruit vniuerſaliter de canonizatis: *Nam cum aliqui Serui Dei excellenti vitæ Sanctitate, & miraculis inſignes, iam cum Chriſto in Cælo regnates, in terra quoque Summa Romani Pontificis auctoritate, Sancti eſſe declarātur; Rex ipſe ſempiternæ Maieſtatis, & gloria in Sanctorum Concilio glorificatur.* Aut cum Gregorius 9. de quo nos cap. 2. nu. 15. dixit: *Ne illius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum à Domino permitteremus vlterius humana deuotione priuari.* Sanè detraheretur non parum Sanctorum gloriæ, ſi ſaltem ſpeculatiuè loquendo Papam errare in hoc poſſe liceret ſuſpicari, & non eſſet abſolutè certum, quod pro certo habent Summi Pontifices, determinationem hanc ſuam conformem eſſe iudicio diuino, & Eccleſiæ triumphantis: de quo Honorius 3. num. 14. adductus dixit. *De ipſius igitur Sanctitate tantis certificati miraculis diuinumq; iudicium ſecuti &c.* Canonizati in Cęlo qui Canonizantur in Terra.

5. *Quartò* poſtquam Summi Pontifices, ex præuia Spiritus Sancti inſpiratione decreuerunt aliquem canonizare, in ipſo actu canonizationis aſſerunt eum iam cum Sanctis eſſe in gloria cæleſti abſolutè, & abſq; vlla reſeruatoria clauſula, aut conditionali limitatione, vlloue, vel leuiſſimo dubitationis indicio: quod non deberent facere, ſi putarent fieri poſſe, vt in hoc errore ſpeculatiuo errarent. Deberent enim alia loquendi formula vti, qua ſignificarent, ſe quidem ſecundùm allegata, & probata, ſeu quantum humana prudentia iudicari poteſt, ita cenſere, aut hiſce ſimilibus clauſulis, quò ſibi & Eccleſiæ cauerent, ſi forte aliquando deprehenderetur, non fuiſſe Sanctum eum, quem Sanctorum catalogo adſcribendum putauerant. At non ſic loquuntur, ſed vt retuli cap. 2. nu. 6. Alexander 3. de S. Eduardo ait. *Ita glorificandum* Aſſertio Pontificia de Gloria Canonizatorum.

dum cenſuimus,& debitis pcaconijs adorandum in terris,ſicut eundem Dominus per ſuam gratiam glorificauit in Cælis. Et nu. 15. Gregorius 9. de S. Antonio Patauino: *Nunc viuens in Cælo multis coruſcat miraculis*, & iterum. *Cum Chriſto eſſe meruit in Cælis*. & nu. 16. de S. Dominico. *Diues meritis penetrauit in Sancta Sanctorum, factus in gloria.* Et nu. 17. de S. Eliſabetha Hungarica. *Illius Spiritus in ſuperni fulgoris abyſſo rutilat &c. quam ſibi ad intuitum placuit ſuæ Maieſtatis aſſumere*, & nu. 18. Innocentius 4. de S. Eadmundo: *percepto iam beatitudinis præmio* &c. *felix ipſius anima aulam cæleſtem adiuit Paradiſi delicijs fruitura.* Et nu. 19. de S. Petro Martyre: *Conuenit, vt quem Dominus in Cælo magnificat, Mundus colat*. Et nu. 20. de S. Stanislao: *Ciuitatem illam honoris, & gloriæ corona inſignitus inhabitat, vbi* &c. & nu. 21. Alexander 4. de S. Richardo: *Rex cæleſtis ſic eum honorari decreuit in Cælis*. Et nu. 23. Clemens 4. de S. Heduuige: *Regali itaque diademate inſignis, cæleſti regnat in patria*. Et nu. 24. Bonifacius 8. de S. Ludouico Rege: *Eum in æthereis ſedibus collocauit, vt ſedeat cũ Principibus, & ſolium gloriæ teneat felicitatis æternæ &c.* Et nu 25. Clemens 5. de S. Petro de Murone olim Cæleſtino v. *Stola immortalitatis induitur, & ſedens cum Principibus, ſolium gloriæ ſempiternæ tenet*, & ibidem *dignum eſt, vt quem in Cælo ſurſum Deus glorificat, hic inferiùs Mundus colat*: idemq; prorſus nu. 26. dicit: Io. xxII. de S. Ludouico Epiſcopo Toloſano, & nu. 27. de S. Thoma Epiſc. Herphord. *Factus eſt eximius Cæli ciuis*. Et nu. 28. de S. Thoma Aquinate. *Dignum fuiſſe, vt Deus aſſumptum in Cælis Sanctificatum eſſe hominibus declararet, & meritò dicatur de illo: Scitote, quia merificauit Dominus ſanctum ſuum.* & nu. 35. Sixtus iv. de S. Bonauentura. *Ad cæleſtem, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem migrare emeruit*, & nu. 42. Clemens viij. de S. Romualdo. *A Deo exaltari meruit longitudine dierum in terris; immortalitate, & Sanctorum gloria in cælis.*

Nuſ-

Nuſquam verò in Bullis canonizationum legas vllam reſeruationem, aut modificationem, qualem ſolemus nos apponere, cum aliquem probum, atq; Catholicum hominem indicamus poſt mortem eſſe in loco ſalutis dicentes, *vt piè poſſumus æſtimare*, vel *vt probabiliter credere datur* &c.

6. *Quintò* Summi Pontifices, quaſi tacitę occurrentes dubitationi, vndenàm præſumant abſolutè, & abſq; vlla hypothetica limitatione definire talem, vel talem perſonam Sanctam eſſe, proteſtantur ſe confidere de Deo, quod non permiſſurus ſit eos errare in hoc negotio; igitur promiſſiones illas diuinas, quas produximus nu. 1. interpretantur ipſimet Pontifices ita, vt valeant etiam in hac facti quæſtione de Canonizatione Sanctorum: Perperam igitur faciunt, qui eas promiſſiones reſtringunt ad ſolos articulos fidei primarios, vel ad quæſtiones meri iuris, & dogmatum. De hac porrò fiducia non errandi relege dicta Pontificum relata cap. 2. nu. 7. 11. 27. 32. 35. Neque huic fiduciæ obſtant Orationes, ieiunia, & eleemoſynæ præmitti à Pontificibus ſolita, *ne Altiſſimus Eccleſiam ſuam modo aliquo in hoc canonizationis officio errare permittat*, vt retuli cap. 2. nu. 37. 39. 43. 48. ſicut non obſtant infallibilitati abſolutionis, aut conſecrationis Hoſtiæ, preces præmitti ſolitæ à legittimo Sacerdote, ſi forma debita ſupra materiam idoneam vtatur. Nec oratio repugnat fiduciæ, de infallibili impetratione, aut fiducia Orationi: Si quidem Chriſtus ipſe Dominus, de multis rogauit Patrem, quæ certiſſimè præſciebat ſe impetraturum: Proinde plena fiducia dicere in hoc poſſunt caſu, quod Sixtus IV. nu. 35. adductus: *Confidentes igitur, quod in hac Canonizatione, non permittat nos Deus errare*. Neque enim dubitare poſſunt quin Deus ſic inuocatus, in tanti momenti negotio aſſiſtat ipſis, ne errent: vt expreſsè profeſſus eſt inter alios Sixtus V. de quo nu. 40. in canonizatione S. Didaci dicens: *Inuocato Sãncto Creatore Spiritu, cuius conſilio, & ſapientia, ſancta*

Fiducia Pontif. de non errãdo hic.

Eccleſia columna, & firmamentum veritatis regitur, eiuſque numen ſæpe à nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes &c. Vnde mihi aliud argumentum ſuggeritur, de quo mox nu. 7.

7. *Sextò* ne quis putaret Sedem Apoſtolicam niti merè aut præcipuè humanis teſtimonijs de vita, & miraculis alicuius atteſtantibus, ideoq; Canonizationem obnoxiam eſſe fallibilitati. Tria prærequirere ſolet, & eorum conſequutionem profiteri palàm; videlicet. *Teſtimonium Dei* per miracula post mortem perſonæ canonizandæ, diſcuſſa diu multumque vſq; ad euidentiam facti, eſto hic interueniant atteſtationes humanæ tanquam conditiones, ſine quibus nobis conſtare non poteſt de teſtimonio diuino, per miracula, ſicut in alijs caſibus, de quibus infra, vbi de vi & diſcretione miraculorum. Deinde requirunt *conſenſum* Cardinalium, Auditorum Rotæ, aliorumq; Prælatorum, & attendunt ſupplicationes Principum Catholicorum, aut Ciuitatum, his enim concurrentibus iam meritò exiſtimant Deum inſinuaſſe ſuam voluntatem Eccleſiæ, de canonizanda perſona tali. Demum non priùs proceditur ad Canonizationem, quàm poſt multas preces, lacrymaſq; ieiunia, eleemoſynas, & ſacrificia Summus Pontifex experiatur in ſe inſtinctum diuinum, tantumq; luminis ſuperni, ac vigoris, vt abſq; vlla formidine ſecurè, atq; intrepidè pronũciare poſſit, talem perſonam eſſe Sanctam, & Beatam in cœlis. Relege enim quæ de Sixto 5. in fine numeri *6.* nuper produximus, nihil dubitãte de præſentia Spiritus Sancti. Et quæ cap. 2. nu. 9. Cœleſtinus 3. dixit oſtendens ſe in canonizando S. Vbaldo, non more humanorum iudiciorum proceſſiſſe: *Nos verò opus iſtud intuentes ſenſum, & intelligentias noſtras excedere, quia potiùs eſt diuini iudicij, quàm humani; cum ipſe ſolus plenè nouerit, qui ſunt eius; ſuſpendimus deſiderium tuum aliquandiu, vt nobis, & fratribus noſtris, quid potius agendum eſſet Spiritus Sancti gratia reue-*

Teſtimonium Dei.

Cõſenſus Eccleſiæ.

Reuelatio Diuina.

lares

laret, Et nu. 37. Leo 10. gratias agit Deo: *Quòd ad Beatum ſeruum ſuum Franciſcum de Paula debitis honoribus proſequendum corda* inquit *noſtra illuminare dignatus eſſet.* & nu. 43. Clemens 8. Canonizaturus S. Raymundum præmiſit illud: *Orantes in Spiritu &c.* Deum, *vt daret nobis Spiritum Sapientiæ, & reuelationis, quo hæc arcana cœleſtia, quæ ratione humana comprehendi non poſſunt, cognoſceremus, & illuminaret oculos cordis noſtri &c.* & num. 47. notanda ſunt grauiſſima illa verba Gregorij 15. ante canonizationem S. Philippi Nerij: *Sed quoniam non audebat ſancta ſedes, librum æternæ vitæ perſcrutari, niſi Spiritu Sancto aperiente &c.* ideo, vt ibi & nu. 48. dicitur orandus fuit Dominus, *ad explorandum Diuinæ voluntatis arbitrium, & vt in tanto opere exequendo lumen eius, qui lucem habitat inacceſſibilem, implorarent*; & poſt hæc ſubiungit: *poſt imploratam Spiritus Sancti gratiam &c.* Igitur huiuſmodi canonizationes non fundantur in vnica vel potiſſima hominum fallibili atteſtatione, ſed præcipuè in teſtimonio Diuino, & illuſtratione Spiritus Sancti occulta quidem, verùm ſufficienti, & nomine ſuggeſtionis, de omni veritate à Chriſto promiſſa, iuxta hic dicta nu. 1.

8. *Septimò* Multi Romani Pontifices expreſsè, & in terminis (quod alij implicitè, & æquiualenter præſtiterant) definiuerunt, ac decreuerunt canonizatos à ſe; non ſolum *catalogo Sanctorum adſcribendos* eſſe, ſed pro Sanctis habendos *firmiter, ac fideliter* in tota Eccleſia Dei, imò definiuerunt *Sanctos eſſe*. At ſi iudicaſſent eos certitudine tantum morali ſecundùm æſtimationem prudentum, abſq; periculo errandi practicè Sanctos habendos, & pro talibus colendos eſſe, non erat opus tali definitione, quæ caderet non ſolum ſupra cultum ipſorum, & dignitatem talis cultus, quantum ex vita, & miraculis conſtare potuit Eccleſiæ, ſed etiam ſupra realitatem, ſeu verum eſſe ſanctitatis talium perſonarum; nec poteſt reddi ſolida ratio, cur eadem formula vſi ſint, qua in rebus

Definitio quod ſint Sancti.

fidei

Fidei decidendis, declarandiſq; vti conſueuit Eccleſia, niſi quia id eſſe verùm abſolutè, & pro tali tenendum conſtare voluerunt, & excludere opinionem eorum, qui dicturi fortaſſe eſſent, per canonizationem Pontificiam decretum quidem eſſe aliquos dignos eſſe cultu Sanctorum, & quandiu aliunde nihil in contrarium conſtiterit, temerarium, & impium eſſe negare illos eſſe Sanctos, aut dicere Papam in hoc erraſſe: cæterum non eſſe definitum, *eos eſſe Sanctos*. Huic igitur opinioni anſam præamputantes, diſtinctè duo definita ſunt à Sede Apoſtolica, videlicet Canonizatos, & Catalogo Sanctorum adſcribendos, colendoſq; vt Sanctos; & inſuper *Sanctos eſſe*, vt liquet ex relatis à nobis cap. 2. Nam num. 30. Bonifacius ix. canonizatione confirmata à Martino 5. dixit: *Decernimus, Definimus, ſiue pronunciamus Beatam Brigittam Sanctam eſſe, & tanquam Sanctam, &c.* & num. 34. Pius II. *Catharinam Senenſem in Cæleſti Hieruſalem inter Beatarum Virginum choros iampridem fuiſſe receptam, & æternæ gloriæ corona donatam declaramus &c.* Et num. 35. Sixtus 4. de S. Bonauentura: *Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei catalogo adſcribendum, &c. ac fideliter, firmiterq; teneri debere decernimus*: potuitne maiori verborum pondere deſignari veritas de fide credenda? & num. 36. Innocentius 8. de S. Leopoldo Auſtriaco: *Publicè Sanctum definimus, profitemur, & veneramur*. Item num. 37. Leo 10. de S. Franciſco de Paula: *Decernimus, & definimus in cœleſti Hieruſalem inter Beatorum choros iam receptum, æternaq; gloria iam condonatum fuiſſe*. Prætereà num. 38. Adrianus 6. de S. Bennone: *Decernimus, ac definimus Sanctum eſſe, & in Sãctorum catalogo &c.* Idemq; Pontifex relatus num. 39. *Antoninum Florentinum Sanctum eſſe*, & pro tali *fideliter, firmiterq; teneri debere decreuit*, & num. 43. Clemens 8. *B. Raymundum de Penaforti, Sanctum eſſe definiuimus &c. prout in præſens definimus*. Numero inſuper 44. Paulus v. *B. Franciſcam Roma-*

manam Sanctam eſſe definimus. Idemq; Pontifex num. 45. *Carolum Borromaeum Sanctum eſſe definimus*, & num. 46. 47. & 48. Gregorius xv. *Tereſiam Virginem de Abula Sanctam eſſe definimus, & SS. Philippum Nerium, Ignatium Loiolam, cum Beatis Iſidoro, Agricola, Franciſco Xauerio, nec non Tereſia Sanctos eſſe definiuit*.

9. *Octauò*, Quod dictum eſt de expreſſa definitione numero 8. valet de Declaratione, & Decreto, quo Romani Pontifices definiuerunt Sanctos Canonizatos catalogo Sanctorum eſſe adſcribendos, & ab vniuerſa Eccleſia pro Sanctis habendos, ac venerandos eſſe, & reipſa adſcripſerunt, quod in omnibus canonizationibus factum eſſe narrauimus cap. 2. à num. 1. ad 48. incluſiuè. Intentio enim Sedis Apoſtolicæ, non fuit, vt nomina eorum in catalogo terreſtri tantummodo, ſeu militantis Eccleſiæ ſcriberentur, ſed præcipuè vt declararent eos iam in numero Sanctorum à Deo ipſo collocatos fuiſſe, & in catalogo triumphantis Eccleſiæ iam characteribus immortalibus, atq; indelebilibus conſcriptos eſſe, quod colligo, tum ex dictis num. 4. huius capitis, tum ex Definitione canonizationis vniuerſaliter ſūpta ex Clemētis viij. verbis cap. 2. num. 41. allatis. Nam, inquit Clemens, *Cum aliqui ſerui Dei excellenti vitæ ſanctitate, & miraculis inſignes, iam cum Chriſto in cœlo regnantes, in terra quoq; Summa Romani Pontificis auctoritate Sancti eſſe declarātur &c.* Tum denique ex ipſorum expoſitione: vt cùm Innocentius iv. nu. 18. adductus dixit de S. Eadmundo: *Ipſum Sanctorum Catalogo adſcribendum, vel iam adſcriptum duximus nunciādum:* Et Clemens iv. num. 23. de S. Heduuige: *Sanctarum Catalogo decreuimus adſcribendam, imò verius denunciauimus iam adſcriptam*, in cœlo ſcilicet, iuxta dicta hic num. 4. ſeu in libro vitæ, quem per examina vitæ, ac miraculorum, & per preces ad inſpirationem Spiritus Sancti obtinendam ſcrutari ſolet Sedes Apoſtolica, vt ex verbis Gregorij 15. n. 7. adductis patet.

Catalog. Sanctorū Terreſtris reſpondet cœleſti.

10. *No-*

10. *Nonò.* Si cànonizatio Sanctorum non requireret certitudinem maiorem, quàm moralem, & ſufficeret declarare, eos ſecundùm allegata, & probata, ſeu ſecundùm præſentem iuſtitiam eſſe dignos cultu Sanctorum, & ſic vindicare Eccleſiam ab errore practico, vt ſufficere putauerunt Authores primæ opinionis cap. 1. recenſiti; poſſent vtique præſtare Summi Pontifices propria tantum auctoritate tanto maiori, quanto maior eſt Romani Pontificis poteſtas, & iuriſdictio in Eccleſiá, poteſtate, & iuriſdictione, cuiuſuis Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, aut Principes Eccleſiaſtici; imò ſecundùm veriorem ſententiam, Concilij quoque generalis ſeorſim à Summo Pontifice ſumpti. Nec opus eſſet, imò non eſſet audendum aduocare huc authoritatem Dei, & profiteri, ſe in hac definitione, ſeu declaratione vti Authoritate Dei, & in Deum ipſum tanquam authorem primarium canonizationem Sanctorum refundere, vt eius omnimodam infallibilitatem Eccleſiæ denuncient. Iam verò Pontifices Romani non ſunt auſi ſola ſua authoritate in hoc niti, inquit enim Gregorius 9. nu. 13. relatus. *Quia tamen Eccleſia militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his, quæ de ſuo foro non ſunt authoritate propria iudicare, vt illos pro vita tantum venerandos aſſumat &c.* Quibus ſignificat opus eſſe in hoc authoritate Dei, eiuſq; iudicio in foro cæli, ac triumphantis Eccleſiæ iam promulgato, nec ſufficere, vt ſecundùm faciem iudicetur de Sanctitate alicuius, ſed requiri, vt ſint tales coràm Deo. Hinc eſt, vt tanta fiducia, & ſecuritate Summi Pontifices definiuerint Sanctos eſſe aliquos *Authoritate* non ſolùm *BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſed etiam, & in* primis, *Auctoritate Omnipotentis Dei, ſeu Auctoritate Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vt patet ex eorum formulis productis cap. 2. numeriſq; 5. 7. 9. 19. 21. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 43. 44. 45. 46. 47. & 48. Nec ſanè maiori pondere autho-

Autoritate Diuina fit Canonizatis.

authoritatis vti conſueuerunt in definiendis Fidei dogmatibus, ſiue per ſemetipſos, ſiue per Concilium ab ipſis directum, vel approbatum.

11. *Decimò.* Summi Pontif. ad canonizandū aliquem prærequirere ſoliti ſunt non ſolam vitæ ſanctimoniam, nec ſola miracula ab ipſis patrata, ſed vtrumque, & potiſſimum, miracula poſt mortem à Deo ipſo ad eorum honorem, & inuocationem edita: & diuturna, exquiſitiſſimaq; diſcuſſione examinata, & approbata: tunc enim habent illa pro euidentibus ſignis diuini teſtimonij reuelantis Eccleſiæ ſuæ Sanctitatem, & Gloriam eorum ſicut relegere poterit Lector in cap. 2. numeris 6. 8. 11. 13. 14. 15. 20. 22. 27. 28. 31. 33. 34. 36. ſed ſignanter notanda ſunt Ioannis XXII. verba n. 28. *Hæc ſunt igitur teſtimonia Tua Deus, quæ de hoc Viro iuſto* nempe S. Thoma Aquinate, *nobis credibilia facta ſunt nimis*; *Nam ſi teſtimonium hominum accipimus; teſtimonium Dei maius eſt &c.* Iam ſi aliqua miracula ſufficienter probata, reddunt euidenter credibilem, aut doctrinam, ad cuius confirmationem fiunt, aut Sanctitatem perſonæ ad quam probandam ab aliquo patrantur, quando nec illa doctrina repugnat, aut rectæ rationi, aut certis dogmatibus Fidei, nec vita moreſuè diſſentiunt; Quanto magis miracula tot, ac tanta poſt mortem perſonæ, ad eius inuocationem, & honorem à Deo ipſo facta, & à Vicario ipſius ſaltem generatim approbata adeo, vt vi eorum deuenerit ad canonizandam talem perſonam; faciunt euidenter credibilem eius Sanctitatem, & Gloriam? Ergo ſicut huiuſmodi ſigna, non obſtante hominum atteſtatione, obligant ad iudicandum aliquam propoſitionem eſſe à Deo reuelatam, atq; adeo credendam, aut credibilem eſſe de fide Theologica, ita mihi ſanè videntur obligare, ad iudicandum, ſanctitatem perſonæ canonizatæ reuelatam eſſe à Deo, ac proinde, ſi non credendam de neceſſitate præcepti affirmatiui quoad exercitium, ſeu actum poſitiuum Fidei; crebibilem

Credibilitatis euidentia ex miraculis quanta & qualis.

ſaltem eſſe de Fide, & credendam de neceſſitate præcepti negatiui, obligantis ad non negandam talem Sanctitatem, ſiue in interno, ſiue in externo foro.

12. *Vndecimò.* Si Summi Pōtifices non credidiſſent Sanctitatem perſonæ canonizatæ certiſſimam eſſe certitudine abſoluta, & in conſpectu Diuinæ Maieſtatis, non eſt veriſimile ipſos obligaturos fuiſſe vniuerſam Eccleſiam ad cultum, & venerationem talis perſonæ, non ſolum externum, ſed etiam internum, habendo illam, & æſtimando pro ſancta; ſicut obligare conſueuerunt *diſtrictè præcipiendo* ſeu *per Apoſtolica ſcripta mandantes*, vt videre eſt in canonizationibus cap. 2. relatis num. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 13. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 42. 43. 45. &c. Sicut non ſolent obligare ad has numero Reliquias Sanctorum habendas pro veris Reliquijs eorum, aut ad hanc in indiuiduo hoſtiam conſecratam, pro verè conſecrata tenendam; aut ad eos, quos Beatificant tantum, ſed non canonizant, ad habendos pro Sanctis, ſeu Beatis, ſed habent, ſe permiſſiuè tantum, concedendo id, aut indulgendo poſtulatis aliorum. Imò ſola inuitatio Sedis Apoſtolicæ ad feſtum aliquod celebrandum ex inſtitutione eiuſdem Sedis, ſufficit ad certificandam Sanctitatem perſonæ vel rei, ad cuius honorem inſtitutum fuerit, vt docebimus lib. 2. quanto magis ſufficit inſtitutio feſti, cum obligatione illud celebrandi, ex diſtricto præcepto Sedis Apoſtolicæ?

Obligatio ad cultum & iudiciū de Sancto ex præcepto Apoſtolico.

13. *Duodecimò.* Si Summus Pontifex obliget ad aliquam propoſitionem credendam, aut fideliter firmiterq; ſeu indubitanter tenendam, vtique illa euadit, aut credenda, aut ſaltem credibilis de fide, & infallibilis abſolutè, atque extra aleam erroris non tantum practici, ſed & ſpeculatiui, & maximè ſi eam definiri à ſe profiteatur Authoritate non modò Apoſtolica, ſed ipſius Dei, & Sanctiſs. Trinitatis; & ſub anathemate vetet oppoſitum. Ergo ſi ſub ijſdem terminis, ac for-

Obligatio ad credēdū id firmiter, & fideliter.

formulis obliget ad ſic credendam, & tenendam hanc in ſpecie propoſitionem, videlicet talem perſonam à Sede Apoſtolica canonizatam Sanctam eſſe, euadit hæc propoſitio credenda, vel credibilis de fide, & infallibilis abſolutè &c. nulla enim diſparitas ſolida afferri poteſt, niſi petendo principium, & ſupponendo id, quod eſt in controuerſia, videlicet Pontificiam definitionem eſſe infallibilem tantummodo in quæſtionibus meri iuris, excluſis omnibus facti quæſtionibus. Atqui ſub his terminis obligarunt Summi Pontifices ad credendam aliquorum Sanctitatem. Quandoquidem, vt cap. 2. num. 12. retulimus Innocentius iij. *pronunciauit Procopium Sanctum Beatum, felicemq; credendum, vocandum, colendum.* Imò ante illum Ioannes xv. vt dixi nu. 2. S. Vdalricum decreuerat *deuotione fideliſſima celebrandum, & refragantes his quæ firmiter conſtituerat* in hoc *anathematis vinculo, per authoritatem Petri Apoſtolorum Principis innodauerat*. Et Sixtus iv. nu. 35. de S. Bonauentura: *Sanctum eſſe, ac fideliter firmiterq; teneri debere decernimus*. Et Adrianus vi. nu. 39. de S. Antonino decreuit. *Sanctum eſſe, ac fideliter firmiterque teneri debere*. Quod argumentum ſub alia forma tetigi nu. 3.

CAPVT IV.

Argumenta reliqua Decem, Pro Infallibilitate Abſoluta, & Credibilitate de fide, Sanctitatis, & Gloriæ Canonizatorum à Sede Apoſtolica.

1 PRimò. Nec S. Petrus Apoſtolus, nec eius ſucceſſor in cathedra, ſeu Sede Romana, & Apoſtolica errare poteſt in determinandis, quæ ad Fidei Chriſtianæ, ac Religionis Catholicæ quæſtiones, ſeu dubia ſpectant, ita vt quidquid in hoc genere definiuerit ſit infallibiliter, & obſolutè verum coràm Deo, & de Fide credibile, vt eſt communis ſententia Catholicorum, etiam eorum, contra quos cap. 1. pro 1.

opinione nominatos diſſerimus; ſed Canonizatio Sanctorum ſpectat ad Fidem Chriſtianam, Religionemq́, catholicã, nec aliud eſt quàm Pontificia definitio, ſeu declaratio de Sanctitate, & Gloria alicuius perſonæ facta à Succeſſore Petri; Ergo huiuſmodi definitio eſt infallibilis, & Perſonæ ſic canonizatæ Sanctitas, atq; Gloria eſt abſolutè vera coràm Deo, & de fide credibilis. *Maior* propoſitio, vt dixi certa eſt penes Catholicos; *Minor* quoad difinitionem canonizationis eſt etiam communis, & colligitur ex formulis vſitatis à Romanis Pontificibus in Sanctorum canonizationibus cap. 2. relatis: ſuper eſt probanda illa pars minoris, qua diximus in canonizatione Sanctorum definiri aliquid ſpectans ad Fidem Chriſtianam, Religionemque Catholicam. At id probatum eſt cap. 3. nu. 2. Authoritate Summorum Pontificum aſſerentium id ſpectare, *ad Fidei Catholicæ robur, & exaltationem, & Religionis Chriſtianæ augmentum*, & vlterius nunc probabitur tum Authoritate, tum Ratione.

Canoniſmus ad Fidem ſpectat.

Authoritate quidem quia, vt refert Lucas Caſtellinus de certitudine Gloriæ Sanctorum c. 3. puncto 48. Ioannes XXII. in Bulla commiſſoriali inquiſitionis pro vita, & moribus B. Gregorij Papæ x. ad effectum canonizationis data anno 9. ſui Pontificatus 6. Idus Maij dixit: *Attendentes tamen quod Romana Eccleſia, præſertim in tanto Fidei negotio, cum magna maturitate procedit*. Præterea in 6. Decretalium lib 4. cap. vnico, ſeu Tit. 22. de *Reliquijs, & venerat Sanctorum* Bonifacius VIII. ſtatuit Officio duplici celebrandos non ſolũ Apoſtolos, & Euangeliſtas, ſed etiam alios quoſdam Confeſſores, & Doctores Eccleſiæ, nempe Gregorium Auguſtinum, Ambroſium, ac Hieronymum aſſeritq; id fieri ad diuini nominis honorem, & gloriam, *exaltationem Catholicæ fidei*, ſalutemque fidelium. Ibi autem Gloſſa affirmat ſpectare ad Papam Sanctos canonizare, ob quinque rationes, quarum ſecunda eſt: *Quia miracula attribuuntur fidei: hæc igitur*

qua-

quæſtio, cum ſit de Fide, præcipuè eſt ad Sedem Apoſtolicam referenda. Tertia eſt: *Quia ad Papam ſpectat declarare dubia Scripturarum; multò fortiùs dubia Sanctitatis, quia circa maiora, maius periculum vertitur.*

2. Ratione idem confirmatur, quia vnum ex præcipuis ſignis, quibus Chriſtiana Religio, & Catholica Fides dignoſcitur eſſe vera, verumq; cultum veri Dei continere, adorando Patrem celeſtem in Spiritu, & veritate; diſcerniturque à falſis ſectis; eſt videre in ea ſola repertos fuiſſe omnibus ſeculis, hinc innumerabiles Martyres, qui vſq; ad acerbiſſimam mortem, eam teſtimonio ſanguinis effuſi, vitæq; amiſſione profeſſi, cōfeſſiq; meruerint in Catalogo Sanctorum, ac Martyrologio Romano, iuſſu Apoſtolicæ Sedis conſcribi; inde plurimos adeo Sanctos, vt miraculis poſt eorum mortem, ad ipſorum inuocationem, & honorem diuinitus editis, ac per Eccleſiam conſtanti, & irrefragabili fama diuulgatis, tandemq; à Sede Apoſtolica approbatis, meruerint vi teſtimonij diuini, atq; aſſiſtentiæ Spiritus Sancti declarari, ac definiri Sancti à Vicario Chriſti, eoſq; à Deo æternæ vitæ præmium conſecutos eſſe. Vnde confirmantur fideles, hanc vnam Sanctam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, eſſe illam, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, & intra quàm, qui eius dogmata ſectatur & leges, ac præcepta ab ipſa, vel aſſerta, vel poſita ſeruauerit vſque ad finem, ſalutem æternam conſequetur. Cantet igitur ſiue Eccleſia in perſona Chriſti, ſiue ipſe Chriſtus in Dauidico pſalmo 15. *Sanctis, qui ſunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis*, & concludat ibidem. *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſq; in finem.*

3. Denique cùm dogma ſit de fide, Sanctos venerandos, atque inuocandos eſſe eorumq; reliquias eſſe venerandas, ſi oriatur quæſtio, vt non ſemel orta eſt inter Catholicos, vtrum talis, vel talis perſona ſit veneranda pro Sancta, illi qui appli-

can-

candum in praxi, quod theoricè, ac dogmaticè in communi de fide tenetur, quis non videat quæſtionis huius determinationem ad Fidem reduci, ac ſuo modo pertinere? vt ſchiſma tollatur, & in vnitate fidei conueniatur; pro quo placet afferre verba Io. de Turrecremata in 3. parte Decreti de conſecr. Diſt. 3. num. 23. vbi inter alias rationes, ob quas ad Papam ſpectat Canonizatio Sanctorum, hanc adducit dicens: *Secundò Canonizatio Sanctorum, innititur fidei Chriſti, in quem Sancti credentes miracula faciunt, quæ atteſtantur eorum ſanctitatem, & fidei integritatem, fides autem Chriſti. Vna eſt iuxta illud ad Epheſios 3. Vnus Deus, vna fides, vnū baptiſma. Ad illum ergo pertinet Sanctorum Canonizatio, per quem omnia membra Eccleſiæ vniuntur, in vnitate fidei, ne ſit inter fideles ſchiſma de Sanctis &c.* Et in fine rationis 3. *Sicut ad ſolum Summum Pontificem quæſtiones de fide ortas pertinet determinare, vt in capit. Quoties 34. q. 1. ita quis debeat in Eccleſia tanquam Sanctus coli declarare, & mandare.*

4. *Secundò* ad ſolum Summum Pontificem Romanum ſpectat Canonizatio Sanctorum, vt colligitur ex libro 3. Decretalium Gregorij 9. tit. 45. *de reliq. & vener. Sanctor.* cap. 1. vbi occaſione cuiuſdam in ebrietate occiſi, & tamen pro Sancto culti, dicitur: *Etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto, abſq; auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.* Et cap. 2. de Reliquijs Sanctorum; *Nemo publicè venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* Idipſum habet Gloſſa in 6. Decretalium lib. 4. tit. 22. *de reliq. & venerat. Sanctorum* cap. vnico §. *Sedis Apoſtolicæ*: Troilus Maluet. de Canoniz. dub. 2. Turrecremata loco ſub finem num. 3. citato, Cardin. Tuſcus in Concluſ. practicus verbo *Canonizatio.* Alphonſ. à Caſtro de iuſta hæreticor. punit. lib. 1. cap. 6. col. 4. omneſq; Canoniſtæ in 6. Decret. lib. 4. tit. 22. c. vnico, præcipuè Innocentius, Hoſtienſis, Io. Andreas, Antonius de Butrio, Zabarella,

& Ab-

& Abbas, & plura de hoc Felix Contelorius de Canonizat. Sanctorum à cap. 6. & 8. quibus docet adeo ex reſeruatione Alexandri 3. alijſq; argumentis ad ſolum Papam pertinere hanc Canonizationem, vt eam delegare non poſſit, neque Collegio Cardinalium, neq; Legatis de Latere, neq; Concilio ſeorſim à Pontifice. Potiſſima autem ratio reſeruationis huius à Gloſſa in 6. Decretalium, & Canoniſtis ibi aſſignata eſt: *Ne propter multorum Epiſcoporum ſimplicitatem populum decipi contingeret.* Nec poteſt verior, nec ſolidior afferri ratio, quàm ob requiſitam in hoc negotio abſolutam infallibilitatem, veritatemq; ſanctitatis coràm Deo ſoli Chriſti Vicario promiſſam, non autem alijs Eccleſiæ Prælatis, aut Concilio ſeorſim à ſuo capite ſumpto. Alioquin ſi ſufficeret Eccleſiam eſſe certam moraliter tantùm de ſanctitate canonizati, eamq; non peccare, ſeu non errare practicè in veneratione alicuius tanquam Sancti, non eſſent ex natura officij ſui, & aliarum conditionum (ſecluſo Papæ hoc ſibi reſeruantis præcepto) minus idonei Epiſcopi illarum Prouinciarum, in quibus vixit, aut defuncta, aut ſepulta eſt perſona, de cuius ſanctitate quæritur, & vbi immediatior informatio, & cognitio de miraculis ab ea, vel ad inuocationem eius perpetratis haberi poteſt; poſſentq; eſſe aliqui Epiſcopi non minus diligentes, ac prudentes in examine teſtium; ſiquidem tandem Summus Pontifex conſueuit requirere, & expectare ab huiuſmodi Epiſcopis proceſſus informatiuos pro Canonizatione Sanctorum ad eorum Dioeceſes pertinentium. Quare, ſi ſecundùm allegata, & diu multumq; probata pronunciarent aliquem eſſe Sanctum, vel poſſe tanquam Sanctum coli, immunis eſſet Eccleſia de hac diligentia certior facta, ab omni errore practico. Sed quia in hoc, non ſufficit immunitas ab errore ſolo practico, qualis ſufficit alijs Iudicibus, ſi ſecundùm allegata, & probata reum abſoluant, vel damnent; ſed requiritur certitudo altioris ordinis, & omnem moralem

certitudinem excedens, cuiuſmodi non eſt niſi certitudo abſoluta, & infallibilis coràm Deo, hæc autem nemini Iudicum Eccleſiaſticorum promiſſa eſt à Deo, præterquam Petri ſucceſſori in Sede Apoſtolica, idcirco ad ipſum tantummodo pertinet legitima, & certa Sanctorum Canonizatio.

5 *Tertiò* Canonizatio Sanctorum, non ſolùm eſt vna de maioribus cauſis, quæ ad Papam referenda eſt iuxta Gloſſam in d. cap. *vnico de reliq. & vener. Sanctor.* in 6. & ex tit. *Baptiſmi cap. maiores*, ſed etiam maxima cauſarum, vel inter maximas nulli inferior ex ijs, quæ ad claues ſcientiæ ſimul, & Iuriſdictionis Petro commiſſas Petrique ſucceſſoribus pertinent, vt conſtat ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum, quod refert Lezzana parte 2. ſummæ, verbo: *Sanctorum cultus* num. 13. vbi Eminentiſſimi Cardinales, & probante Pontifice dixerunt. *Cum in tota Eccleſia gubernatione nihil maius, nihil ſi auguſtius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vtpote homines iam demortuos, etiam cum fama ſanctitatis, ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eos vti tales colendos, ac venerandos decernere:* ad eos enim colendos prudenter videretur ſufficere conſtans, & à nemine in dubium vocata fama ſanctitatis, ac miraculorum, ſed ad omnimodam ſecuritatem, omniſq; dubitationis excluſionem requiritur ſublimior, & auguſtior authoritas, & poteſtas declarandi eos abſolutè eſſe Sanctos, & non tantum reſpectiua ad regulas prudentiæ humanæ, ſi quidem abſq; vlla huiuſmodi limitatione Pontifex Summus abſolutè pronunciat, eos eſſe Sanctos. Et quia ad hanc abſolutam infallibilitatem obtinendam, præter teſtimonium diuinum ex miraculis certificatis, requiritur occulta inſpiratio, & quædam reuelatio diuina, vt ex Pontificum ipſorum ſententia docuimus cap. 3. nū. 7. & ſcrutandus eſt liber æternæ vitæ, vt ipſi ſit conformis definitio Papalis de ſanctitate alicuius, velut ex dictis eorumdem cap. 2. relatis num. 39. & 47. liquet: *Idcirco negotium hoc*

Cauſa Canoniz. maxima.

arduum,

arduum, & ſublime appellauit Alexander iij. in Bulla Canonizationis S. Eduardi Regis anno 1161. Febr. 7. data, *& excedens auctoritatem humanam*, etiam Pontificis ſpectati; vt meri Iudicis in foro externo Eccleſiaſtico, vt expreſsè dixit Gregorius ix. in Bulla Canonizationis S. Franciſci de Paula; Proinde omnibus expenſis, non poteſt reddi ratio idonea, cur hæc ſit de maximis cauſis, ad Papam ſolum pertinentibus, & ſit adeo ardua, ſublimis, & excedens iuriſdictionem Eccleſiaſticam Papæ in foro externo, præterquam abſoluta infallibilitas, & omnimoda veritas de ſanctitate, & gloria perſonæ, à ſolo Summo Pontifice difinibilis.

6. *Quartò*. Omne illud eſt infallibiliter verùm coràm Deo, & credendum, vel credibile fide Theologica, quod confirmatum eſt teſtimonio diuino irrefragabili, non ſolum per teſtes omni exceptione maiores aſſerto, ſed inſuper pro tali agnito, & approbato à ſupremo Iudice controuerſiarum Eccleſiaſticarum, & Regula Fidei infallibili, cuius modi eſt apud omnes Orthodoxos Romanus Pontifex legitimè ſedens in Cathedra Petri, & multo magis tale eſt, ſi accedat ſuggeſtio Spiritus Sancti, ac reuelatio interior. Iam verò ante canonizationem ſolemnem Sanctorum Summi Pontifices profitentur, ſe niti teſtimonio Diuino per miracula poſt mortem alicuius diuinitus edita, & pro talibus à ſe agnita, & approbata, & præterea non prius deueniſſe ad canonizationem, quàm poſt multas preces, lacrymas, eleemoſynas, ieiunia, & ſacrificia impetrarint lumen interius, & inſpirationem diuinam ſeu inſtinctum, ad abſolutè, & intrepidè canonizandum aliquem, ac definiendum pro Sancto, vt conſtat ex ſelectis canonizationum conditionibus cap. 2. prænarratis, & ex reiteratis cap. 3. nu. 7. immò non proceditur ad canonizationem niſi excluſo omni dubio, & cum præuia certitudine de aſſiſtentia Spiritus Sancti: iuxta illud Sixti v. in Bulla Canonizationis S. Didaci Complutenſis. *Inuocato Sancto Creatore*

Canonizatio nititur diuino teſtimonio, & reuelatione.

Spiritu, cuius conſilio, & ſapientia Sancta Eccleſia columna, & firmamentum veritatis, regitur, eiuſq́; numen ſæpe à nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis inuocatum, adeſſe non dubitantes.

7. Neque prædictæ infallibilitati obſtat fallibilitas, cui obnoxij ſunt homines interrogati ac teſtificantes de Sanctitate vitæ ac miraculorum, quia Summus Pontifex non innititur eorum teſtimonio pro vt homines ſunt, tanquam motiuo formali ad canonizandum quemquam, ſed prius in eorum approbatione Pontifex, iam nititur teſtimonio diuino tanquam potiſſimo, imò vnico motiuo formali, licet applicato per teſtificationem humanam tanquam per conditionem, ſine qua non, & præterea reuelationi interiori de qua ſupra. Proinde, cum hoc modo procedere debeat Papa, pertinet ad Prouidentiam Dei erga Eccleſiam ſuam, vt non permittat ſui Vicarium decipi vniuerſaliter in approbatione miraculorũ, aut iudicio de Sanctitate perſonæ canonizandæ: alioquin ſi contingeret omnia illa miracula falſa eſſe, & perſonam fama Sanctitatis præditam, deceſſiſſe reuera in peccato mortali, nunquam permitteret Deus, vt canonizaretur, nec Papam inſtinctu interiore moueret ad eam abſolutè definiendam pro Sancta; alioquin deficeret in maximo Eccleſiæ negotio, & ipſe illam decepiſſe, (quod dictu nefas eſt, & horrendum cogitatu) cenſeretur.

Teſtimonium hominũ conditio eſt non motiuum formale.

8. Prætereà ſi humana teſtificatio, de vita, & miraculis, quamtumuis iurata à teſtibus, & approbata non ſolum ab Epiſcopis, Auditoribus Rotæ, & Cardinalibus, ſed etiam à Summo Pontifice, obſtaret abſolutæ infallibilitati de Sanctitate per Papam definita, obſtaret etiam humana diligentia, & conſultatio, quæ ante definitiones dogmatum de Fide præmitti ſolet in Concilijs, aut Conſiſtorio, & Congregationibus Cardinalium, aut in Academijs Catholicis, & Collationibus Doctorum ſuper his conſultis; quando quidem omnes

hi

hi tandem homines ſunt, & humanæ imbecillitati de ſe obnoxij, ac poſſunt in ſenſu ſuo nimis abundare, ac decipi. Quod ſi dicas eos quatenus Pontifici ſummo inſeruiunt, vel ab eo influxum participant, non poſſe vniuerſaliter decipi, quoad ſubſtantiam puncti controuerſi; idipſum dicere debes in hoc tanto negotio, niſi gratis, & petendo principium dictites Deū non æque aſſiſtere ſui Vicario in quæſtionibus facti, ac Iuris, contra ea quæ libro 3. Deo dante oſtendemus. Humana Informatio fidei nō obſtat.

9. Sed neque obſtat, prædictæ infallibilitati, quòd etiam homines reprobi, aut falſa, aut etiam vera miracula aliquando perpetrarint, quæ vtpote dona gratis data, non euincunt perſonam eſſe Sanctam Sanctitate gratiæ gratum Deo facientis. Nam in his caſibus, ex fructibus operum, iuxta Chriſti monitum, cognoſcitur arbor, vt tādem agnoſcatur eorum auctorem, ſeu potius inſtrumentum non fuiſſe Sanctum, aut in priſtina Sanctitate non perſeueraſſe, vel fuiſſe hypocritam; neq; vnquam poſt talium mortem Deus ad honorem eorum, aut inuocationem miracula fecit, aut fieri per alios permiſit. At è contrario ante canonizationem Sanctorum prærequiruntur copulatiuè certa, & irrefragabilis atteſtatio tum de vitæ Sanctitate vſque ad mortem, tum de miraculis præſertim poſt mortem diuinitus factis, & à Sede Apoſtolica approbatis, vt patet ex canonizationibus cap. 2. Indicatis præſertim num. 8. 11. 14. 15. 20. 22. 27. 28. 31. 33. 34. 36. Alioquin fruſtra ad confirmandam Chriſtus diuinitatem ſuam, & miſſionem à Patre prouocaſſet Iudæos ad miracula tot, & tanta, quot, & quanta nemo alius fecerat. Nām de vi miraculorum ad confirmādam veritatem doctrinæ Euangelicæ, aut dogmatis alicuius credendi, non eſt hic quæſtio, ſed de vi eorum ad Sanctitatem perſonæ oſtendendam.

10. Multo minus obeſt abſolutæ infallibilitati ſanctitatis à Sede Apoſtolica definitæ, cognitio miraculorum, aut vitæ abſtractiua, quàm plerumq; habet Papa, cùm rarò intuitiuam Miracula procul facta nō obſtat.

habeat de miraculis coràm ſe patratis, aut de vita perſonæ à ſe diu cognitæ: Cùm nec ad credibilitatem dogmatum de fide, requiratur euidentia miraculi coràm nobis facti; & alioquin quanto eſt obſcurior reuelatio, dummodo ex prudentiæ legibus ex Deo eſſe conſtiterit, tanto laudabilior ſit fides, & ex maiori pietate profecta, iuxta illud Chriſti: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Cæterùm miracula poſt mortem alicuius eſſe indubitata ſigna ſãctitatis, præter ipſos Summos Pôt. id in canonizationibus c. 2. indicatis aſſerentes, docent Theologi cum S. Thoma 22. q. 178. art. 1. de diſcretione autem miraculorum verorũ à falſis videri poſſunt in primis Thomas Vualdenſis tomo 3. Doctrinalis Fidei tit. 14. à cap. 124. ad 127. & Felix Contelorius de Canoniz. Sanctorum cap. 16. 17. & 18.

Canonizatio æquiualet Traditioni.

11. *Quintò* Infallibiliter vera creditur, & talis coràm Deo ſanctitas, & gloria eorum, quos Eccleſia Catholica ex traditione Apoſtolica, & Eccleſiaſtica conſuetudine ſolita eſt venerari pro Sanctis: ſiue in Canone Miſſæ, ſiue in Litanijs, ſiue in Officijs, ac Miſſalibus à Sede Apoſtolica ordinatis, vel approbatis; quia Traditio Apoſtolica, & Eccleſiaſtica apud Catholicos, tanquam Verbum Dei Traditum habuit ſemper tantam vim, quantam Verbum Dei ſcriptum, ſeu Sacra Scriptura Canonica, vt fusè ex doctrina Patrum, alijſq; argumentis irrefragabilibus demonſtrant Theologi, & Controuerſiſtæ contra Sectarios, ſoli verbo Dei ſcripto, contemptis traditionibus, addictos. At ſolemnis canonizatio Sanctorum facta à Sede Apoſtolica, non ſolum æquiualet traditioni, quia Sedes Apoſtolica mandando, & diſtrictè præcipiendo cunctis fidelibus cultum, ac venerationem talium Sanctorum, tradit hoc Eccleſiæ obſeruandum in poſterum; ſed ipſa conſuetudine recepta euadit ſucceſſu temporis formaliſſimè Traditio Apoſtolica, vtpote à Sede Apoſtolica emanans; & Eccleſiaſtica vtpotè ab vniuerſa Eccleſia vſu recepta, & conſuetu-

tudine roborata. Ergo etiam ſanctitas, & gloria Canonizatorum à Sede Apoſtolica infallibiliter vera, & talis coràm Deo credenda, vel credibilis eſt. Imò à fortiori argumentando; ſi ſic credibilis eſt ſanctitas, & gloria eorum, qui abſque tam diuturna inquiſitione, & ſine vlla ſolemni declaratione Papæ; ſola conſuetudine, ac ſenſu per manus tradito habiti ſunt pro Sanctis, multo credibilior videtur ſanctitas, & gloria illorum Sanctorum, quæ diuturna, & exquiſitiſſima diſcuſſione cribrata, tantoque apparatu ad explorandum diuini numinis arbitrium præuio, tanta ſolemnitate à Sede Apoſtolica definitur, traditurque impoſterum tenenda, & obſeruanda.

12. *Sextò* Summum Pontificem obligare ad aliquid certitudine infallibili credendum, ſeu tenendum colligitur à Theologis, & Canoniſtis ſi non ſolum, vt doctor priuatus, ſed vt ſupremus doctor ex cathedra Petri loquatur, *ex motu proprio* imò *certa ſcientia*, & *de plenitudine poteſtatis* mandet ita credi, ſeu teneri ab omnibus; vt de prædictis clauſulis docent Doctores, & Gloſſa in cap. *Ad hæc de reſcriptis*. Bertrandus conſil. 35. & 202. tomo 1. Couarruuias in cap. *Alma mater* 1. p. §. 7. num. 2. Staphilæus de literis gratiæ, & iuſtitiæ, Felinus in cap. cauſam 2. de teſtib. col. 4. Abbas in cap. *ex qua* de ſent. & re iud. nu. 8. Tannerus tomo 3. Theologiæ diſp. de fide num. 262. vbi de Papa mandante, vt ſic ſentiatur, & Suarez tomo 4. de Religione lib. 3. cap. 4. Coroll. 2. *quia* inquit *plenitudinem poteſtatis non habet niſi, vt Summus Pontifex*; *Plenitudo autem poteſtatis eſt ad docendum, cum aſſiſtentia Spiritus Sancti, ac certitudine infallibili*. Iam verò in Sanctorum Canonizationibus, quarum ſpecimen exhibuimus cap. 2. Summi Pontifices profitentur ſe ex certa ſcientia, & plenaria certitudine de ſanctitate, & miraculis, deueniſſe ad Canonizationem, vt videre eſt ibidem numeris 14. 15. 18. 22. 23. 25. 27. 28. 40. & alijs, & vtuntur plena aucto-

ctoritate nõ ſolum ſua, ſed Apoſtolorum Petri, & Pauli, imò, & Sanctiſs. Trinitatis, vt ibidem retulimus numeris iam cap. 3. nu. 10. recenſitis; & hac authoritate definiunt tales perſonas Sanctas eſſe, & mandant per Apoſtolica ſcripta, vt pro talibus habeantur in vniuerſa Eccleſia; vt docuimus eodem cap. 3. nu. 12. Ergo in his caſibus obligantur Catholici ad tenendam infallibili certitudine Sanctitatem, & Gloriam Sanctorum canonizatorum, ac proinde, aut credenda eſt, aut credibilis eſt de fide.

13. *Septimò* infallibilitas abſoluta, de qua ſuqra, probatur ex abſurdis, quæ ſequerentur ex abſoluta canonizatione alicuius perſonæ, ſi metaphyſicè, & coràm Deo poſſet eſſe falſa definitio de illius Sãctitate ſimul, & Gloria, ſeu talis perſona, non obſtante Sedis Apoſtolicæ definitione, poſſet eſſe reprobata, & damnata in Inferno, aut Sancta quidem, ſed adhuc in Purgatorio, & nondum in Gloria Cœleſti. *Primò* enim ſi ſancta quidem eſſet, ſed nondum beata in Gloria; per canonizationem abſolutam priuaretur ſuffragijs fidelium, quibus fortè multùm indigeret, ideoq; non debuiſſet abſolutè canonizari cum præcepto habendi illam, vt iam beatam, & gloria viſionis beatificæ fruentem, ſed ſolùm permitti cum expreſſa, vel interpretabili permiſſione, vt pro ipſo ſuffragia fierent, ſi fortè illis indigeret, alioquin non minus iniuria fieret fraudando talem perſonam ſuffragijs, quibus non eſſet abſolutè certum eam non indigere; quàm orando pro Sancto, tanquam ſuffragijs indigente, quem certum ſit illis non indigere iuxta illud Aug. cap. 17. de verbis Apoſtoli: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; quod de omnibus Sanctis canonizatis intelligendum eſſe declarauit Innocentius in cap. cum *Marthæ de celebrat. Miſſarum*.

Secundò, ſi talis perſona non eſſet Sancta, fraudarentur,
2. Abſurd. inquit Bellarminus lib. 1. de *Sanct. Beat.* viuentes interceſſionibus Sanctorum inuocarent enim aliquando damnatos pro

San-

Sanctis, fundendo in irritum ſuas preces, quas cum fructu fudiſſent ad alios verè Sanctos.

Tertiò ſequeretur illud inconueniens, de quo S. Hieronymus ſuper Epiſtolam Pauli ad Philemonem, & refertur in 2. volum. Decreti cauſa 11. q. 3. cap. 57. *Si quis dixerit iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtum, abominabilis vterq; apud Deum eſt. Similiter qui Sanctum dicit eſſe non Sanctum, & rurſum non Sanctum aſſerit Sanctum, abominabilis apud Deum eſt.* Et cap. 58. *Si quis hominem qui Sanctus non eſt, Sanctum eſſe crediderit, & Dei eum iunxerit Societati: Chriſtum violat.* Vbi Gloſſa Verbum *dixerit* explicans ait: *Dixerit, ideſt, firmiter aſſeueraverit*, cùm non *ſit certus*, & eoſdem textus applicat Pontifici canonizanti, vt non ſequatur hoc inconueniens, Turrecremata in 3. p. ſuper Decreto diſt. 3. num. 23. Proinde non deberet Papa firmiter aſſeuerare Sanctum eſſe, ſi non eſſet certus eum eſſe Sanctum, ſed ſub conditione illum declarare pro digno cultus, & venerationis. 3. Abſurd.

Quartò in hoc ſaltem præualerent portæ inferi aduerſus Eccleſiam Dei, ſi diabolus, qui in Idolis affectauit ſemper diuinos honores, tētauitq; falſis apparitionibus decipere etiam viros ſpirituales, ac prudentes, per hypocreſim, & inanem auram ſanctitatis aliquorum, illuſiſſet, vel ſemel Sedi Apoſtolicæ, & per eam toti Eccleſiæ, & permittente Deo, coleretur publicè iuſſu Romani Pontificis mancipium Satanæ in Inferno inferiori ab ipſo poſſeſſum, & cruciatum: Quod horrendum eſt cogitatu, nedum dictu. 4. Abſurd.

14. *Octauò*. Si Deus non permittet, vt propè finem mundi decipiantur Electi è prodigijs, quæ fient per pſeudoprophetas, vt habetur Matthæi 24. *Surgent enim pſeudo Chriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*, ſeu vt habet Marcus c. 13. *Dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos (ſi fieri poteſt) etiam electos.* Nonne pariter aſſerendum eſt nunquam Electos Deus non permittet in hoc errare.

per-

permiſſurum, nec vnquam permiſiſſe Deum, vt quantiſcunq; miraculis, ſeu veris, ſeu apparentibus decipiantur, & in errorem ſaltem ſpeculatiuum inducantur Summi Pontifices, & cum eis tota Eccleſia, quæ ſequi tenetur ſuum Paſtorem, & in qua ſunt tot electi; ne pſeudoſanctos veneretur pro Sanctis. Quin potius aſſerendum eſt quod indubitanter dixere Reuerendiſs. Auditores Romanæ Rotæ in proceſſu Canonizationis pro B. Andrea Corſino parte 3. tit. de prima conſideretione §. 1. verſu: *Ideo* dicentes: *Ideo non errabit Papa in Canonizatione propter ſcilicet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, quæ efficit, ne poſſit errare in canonizationibus* ita illi: Quod confirmatur ex eo quod nemo hactenus ex canonizatis à Sede Apoſtolica, vel per reuelationem diuinam, vel alio certo medio repertus eſt non fuiſſe Sanctus, aut in Gloria cæleſti: Vnde ſumi poſſet argumetum non contemnendum de impoſſibilitate errandi in hoc; ſaltem extrinſeca ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti.

Raritas, & tarditas Canonizationum.

15. *Nonò.* Raritas Canonizationum ſolemnium in tanta multitudine fidelium defunctorum, cum inſigni fama Sanctimoniæ, & tarditas in hoc negotio, etiam ante Beatificationem, & poſt, & nouiſſima decreta Pontificum de non tractando hoc negotio, niſi poſt multos annos, argumentum ſunt, requiri, vt in hoc nullus error abſolutè poſſit contingere. Ad vitandum enim errorem practicum tantummodo ſufficerent ordinariæ, aut certè paulò maiores diligentiæ, poſſentq; plurimi canonizari, & illi ſaltem omnes, qui beatificati ſunt, aut pro talibus habentur in aliqua Prouincia, vel Ordine Religioſo, vbi nihil euidens, aut valde probabile obſtaret.

16. *Decimò.* Tandem licet argumentari contra eos, qui abſolutam infallibilitatem, & ad fidem ſpectantem admittunt in cauſis minoris momenti, eſto ſint cauſæ iuris potiùs, quam facti. Nam vt aduertit Arriaga in tractatu de Fide diſp. 9. ſect. 5. nu. 28. maior, & intolerabilior error eſſet, ſi Papa iuberet

beret Miſſas celebrari pro damnato ad Inferos, eſto id bona fide, & ex inuincibili ignorantia faceret, quàm ſi in definiendo modo, quo fit iuſtificatio per infuſionem qualitatum ſupernaturalium contingeret cum errore ſpeculatiuo. Prætereà Suarez tomo 4. de Relig. l. 3. cap. 4. Coroll. 2. & Vaſquez tomo 2. in 1. 2. S. Tho. diſp. 165. cap. 9. cenſent de fide eſſe, Vota tria Simplicia Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ in Societate noſtra nuncupant noſtri poſt biennium Nouitiatus, eſſe ſubſtantialia, & ſufficere, vt illi abſq; ſolemnitate Voti, ſint verè, & propriè Religioſi, quia ita definiuit, decreuitq; Gregorius xiij. in Bulla Anni 1584. edita 8. Kal. Iunij, quæ incipit, *Aſcendente*, & ſanè Bulla illa edita eſt cōtra quoſdam; qui non obſtantibus clauſulis illis, *Motu proprio, certaq́; ſcientia noſtra, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, in altera Bulla anni 1582. Kal Februarij eorumdem Votorum ſubſtantialitatem definiuerat, nam in poſteriore refert auſos dicere de ipſo. *Nos ſupradicta motu ſimili, & ex certa ſcientia, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernentes, ac præcipientes, priuato ſenſu loquutos fuiſſe, ac tanquam priuatos Doctores errare potuiſſe, immò verò, & de facto ob falſam informationem erraſſe*, & in eadem declarat, & confirmat. *Motu ſimli, ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex eius Sedis inſtitutione* dicta Vota ſimplicia *eſſe verè ſubſtantialia Religionis Vota*: prædictas verò aſſertiones, quibus dictum fuerat ipſum errare potuiſſe, immò erraſſe decreuit non quidem hæreticas, *ſed falſas omninò, & temerarias eſſe, & cenſeri debere*. At non videtur ad Religionem Chriſtianam, eiuſq; mores in cultu Sanctorum dirigendos, minus pertinere certitudo de ſanctitate, & gloria Canonizatorum, quàm certitudo de vera Religioſitate nuncupantium in vnico hoc noſtro Ordine Vota ſimplicia. Immò alicui videri poſſit pluris intereſſe in Eccleſia certos eſſe Catholicos, quòd aliqui ſint verè Sancti, & Beati in

Gloria Eccleſiæ triumphantis, ideoq; poſſe tutò, abſque vlla formidine erroris coli, & inuocari, quàm quod aliqui in Eccleſia militante ſint verè Religioſi, & quod securè poſſint viuere in noſtra Societate fruendo omnibus bonis, ac priuilegijs, quæ competunt hominibus verè, & propriè Religioſis. Poſtremò cum Raynaudus tomo 15. in Heteroclitis fol. 368. dicat in Canone Miſſæ, vbi ad Memento pro Defunctis dicitur, *dormiunt in ſomno pacis, certum eſſe de fide hanc Orationem vacare errore*, vtiq; idem ſentire debuit de illis Sanctis, quos Eccleſia ex peculiaribus orationibus Miſſæ ſupponit æternæ beatitudinis præmia accepiſſe.

CAPVT V.

Soluuntur Obiectiones contra Infallibilitatem Abſolutam Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum à S. Sede Apoſtolica Canonizatorum.

1. PRimò obijcitur Gregorij 9. dictum lib. 5. Decretalium Tit. 39 *de ſentent. excomm.* Cap. *A nobis* 2. quod eſt Cap. 2. vbi requiſitus Pontifex, an excommunicatus, ſed nondum abſolutus ab Eccleſia, ſi dederit ante mortem ſigna manifeſta pœnitētiæ, nec per eum ſteterit, quominus reconciliaretur, habendus ſit pro abſoluto, & reſpondet quamuis apud Deum potuit eſſe abſolutus, ab Eccleſia tamen non habendum pro abſoluto donec, licet mortuus ſit, abſoluatur: ante reſponſionem autem præmittit hæc verba. *Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: iudicium autem Eccleſiæ, nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli; propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ligatus.* Ergo ſimiliter Eccleſia, & Papa errare poteſt in Canonizatione Sanctorum.

Re-

Reſpondeo Pontificem ibi loqui de Iudicio humano in quæſtione facti ad forum externum pertinentis (non autem ad cauſas Fidei, Religionis, & morum) in quo foro non definit ex Cathedra Petri, nec de interno ſtatu hominis iudicat, ſed ſolum ex præſumptis in dicto foro, vſus poteſtate iuriſdictionis excommunicat aliquem, vel ab excommunicatione abſoluit. At in Canonizatione Sanctorum quæſtio ita eſt facti, vt pertineat ad cauſam Fidei, iuxta dicta Cap. 4. num. 2. & Pontifex iudicat conformiter ad Iudicium diuinum, quod fit in Cœlo in foro interno, innixus diuinis promiſſionibus, & teſtimonio diuino, ac reuelationi, ſeu inſtinctui Spiritus Sancti. Ideo negatur paritas, & conſequentia.

2. *Secundò* inculcatur Gloſſa in Cap. *vnico de reliquijs, & venerat. Sanctor.* Tit. 22. in 6. Decretal. verbo *Sedis Apoſtolicæ.* vbi ſic. *Et ſi in Canonizatione erraret (quod non eſt credendum, licet accidere poſſet ex Cap. à nobis 2. de ſent. excommun.) nihilominus preces in honorem talis, acceptæ, & gratæ eſſent: per fidem enim Chriſti omnia purgātur &c. & eſto quòd veritas Canonizationis deficiat, non deficit Fides.*

Reſpondent Ambroſius Catharinus tract. de certa Sanctorum gloria §. *venio nunc*, & cum eo Cardinalis Tuſcus in pract. concluſ. 41. verbo *Canonizatio*; aut debere intelligi gloſſam de Canonizatis ab Epiſcopo, aut eam aliquoſq; Canoniſtas hanc gloſſam ſecutos, præcipuèq; Felinum ſibi contradicere, quia eadem Gloſſa inter alias cauſas, ob quas Canonizatio Sanctorum eſt reſeruata Papæ, hanc priùs adduxit: *ne propter ſimplicitatem aliquorum Epiſcoporum contingat populum decipi.* Reſpondet verò Contelorius tract. de Canoniz. Sanctorum, Gloſſam illam cōmuniter reprobari, cum pleriq; Doctores aſſerant abſolutam infallibilitatem Papalis definitionis in Canonizatione Sanctorum, adeo, vt minimùm cenſeant temerariam eſſe oppoſitam aſſertionem, & præterea Gloſſæ textus ex Cap. 2. *A nobis de ſent. excomm.* addu-

ctus, non faciat ad punctum quæſtionis, quia in eo textu agitur de mero iudicio humano Pontificis, vt homo eſt iudicans ex præſumptionibus fori externi, vt diximus in Reſpõſ.ad 1.

Miraculorum vis quanta.

3. *Tertiò*. Canonizatio Sanctorum nititur potiſſimum Miraculis, vt patet ex proceſſibus informatiuis, & ex verbis Pontificum Cap. 2. productis. At miracula non ſunt euidens, aut certum argumentum, ſiue doctrinæ, ad cuius conformationem fiant, ſiue ſanctitatis perſonæ illa patrantis. tum quia poſſunt eſſe falſa, & apparentia tantum ex magia naturali, & pacto cum Dæmone, qualia erant, quæ fiebant à Pharaonis maleficis per incantationes, vt narratur Exodi 7. & 8. Simon Magus, & Apollonius Tyanęus, & Arriani, Lutheraniquè, aliiq; hæretici aliqua ad tempus miracula apparenter populo propinarunt, & Antichriſti tempore *Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia magna in populo, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. Chriſto id aſſerente *Matth.* 24. Tum quia etiam ſi ſint vera miracula, poſſunt fieri ab hominibus; vel tunc gratiam gratum faciente carentibus, ad oſtentationem, Deo ſic permittente, vel poſtea in ſanctitate non perſeuerantibus, & à Deo reprobatis, iuxta illud Saluatoris noſtri *Matth.* 7. *Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.*

Reſpondeo negando maiorem propoſitionem, ſi ſermo ſit de miraculis nudè, aut vniuerſim, ſeu indiſcriminatim ſũptis, putà de miraculis, à perſona viuente factis, ſed moribus diſſentientibus, aut poſt mortem ſed nondum examinatis, & approbatis à Sede Apoſtolica, aut approbatis quidem, ſed ſumptis pro motiuo formali hominum atteſtationibus; concedendo autem maiorem de miraculis, quibus cõcordat vitæ Sanctimonia, & potiſſimum de Miraculis poſt mortem factis ad

inuo-

inuocationem talis perſonæ, aut ad ſepulchra, & cadauera, aut in Reliquiarum translatione à Deo factis, vt ſic Sanctos ſuos honoret; & quidem approbatis à Sede Apoſtolica, ſumptoque de his teſtimonio, non vt motiuo formali ad canonizandum, ſed vt conditione applicante diuinum teſtimonium cum euidentia credibilitatis, & coniuncta cum Dei teſtimonio diuina inſpiratione occulta, ſeu inſtinctu Spiritus Sancti, de cuius aſſiſtentia certus eſt Summus Pontifex in tanto negotio, innixus Chriſti promiſſionibus. Similiter ad aſſumptum, ſeu minorem propoſitionem. Reſpondeo, eamq; concedo, ſi Miracula, vel inania ſint, & à prudentibus viris, tandem pro falſis dignoſcibilia, aut vera, quidem, ſed patrata à perſona manifeſtè improba, aut graui prauæ vitæ ſuſpicione laborante, aut nondum approbatis à Sede Apoſtolica: Nego autem eandem Minorem, de Miraculis veris, cum vita bona concordantibus, nec in vita ſolum, ſed poſt mortem ad perſonæ defunctæ honorem diuinitus editis, hiſq; omnibus cum euidentia credibilitatis, & cum approbatione Sedis Apoſtolicæ. Tunc enim argumenta ſunt certa non ſolum veræ doctrinæ (ad quod non ſemper requiritur ſanctitas Doctoris, vel Prædicatoris) ſed etiam ſanctitatis perſonæ, à quà, vel pro quà talia miracula facta ſunt; Quidquid conati ſint Vuicleff, & alij hæretici detrahere Miraculis, quibus errores ſuos non potuerunt confirmare, ſicut videbant confirmari Catholicam veritatem. Verum grauitas huius argumenti poſtulat, vt maioris diſtinctionis gratia quædam breuiter adnotemus.

4. Summi enim Pontifices ante canonizationem, nec ſolas virtutes, & bona opera, nec ſola miracula requirunt, ſed vtrumq; vt expreſsè ipſi profitentur in ſuis Bullis cap. 2. indicatis, numero 8. 11. 15. 25. 41. & alijs, ſed potiſſimum miracula poſt mortem, vt ex eodem capite conſtat, numeris præſertim 6. 11. 13. 18. & meritò quia non poſſunt adſcribi oſtentationi, aut hypocriſi, aut magicæ incantioni perſonæ Miraculorũ vis poſt Mortem.

illa

illa ad ſui gloriam inanem, famamque Sanctimoniæ captandam operantis; ideoque S. Thomas 22.q. 178. art. 1. dixit: *Miracula poſt mortem indubitata eſſe ſigna ſanctitatis*, & idipſum pluribus docet Vualdenſis tomo 3. Doctrinalis Fidei tit. 14. cap. 123. & Felix Contelorius de Canoniz. Sanctor. cap. 5. nu. 19. & cap. 14. dummodo antea de vitæ honeſtate ſaltem ſub vitæ finem conſtiterit. Ideo S. Ambroſius attendens miracula facta in detectione, & translatione corporum SS. Gervaſij, & Protaſij tomo 3. exagitat Arrianos negantes ex viſu cæcis reſtituto, & dæmone expulſo ab energumenis, colligi diuinum miraculum: *Cedit Diabolus plagis, & adhuc cedere neſciant Arriani, & quemadmodum Pharao malis ſuis indurantur*, & paulò poſt *dicebant hodie, & ſuperiore die, vel nocte dæmones: Scimus quia Martyres eſtis: & Arriani dicunt: neſcimus nolumus intelligere, nolumus credere: Dicunt Martyribus dæmones; veniſtis perdere nos: Arriani dicunt non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta, & compoſita ludibria &c. Quid illud, quod ita agitari eos videmus, quibus manus imponitur? vbi locus fraudi eſt, vbi ſuſpicio ſimulandi?* Verum quidquid eſſet de dæmoniacorum figmento, ſubdit S. Doctor. *Sed non ego ad ſuffragium Martyrum, vſurpo vocem dæmoniorum: beneficijs ſuis ſacra paſſio comprobetur. Habet iudices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos. Melior enim eſt quam ſanitas loquitur eorum, qui debiles aduenerunt. Melior vox eſt, quam ſanguis emittit habet enim ſanguis vocem canoram, quæ de terris ad cælum peruenit*. Sed & Sanctus Auguſtinus ſermone de Sancto Vincentio, qui eſt 36. inquit: *Quid agit Deus mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perhibet ſibi non perire, quod moritur, & vt hinc intelligatur in quali honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto affectu diuinitatis ornatur?* & poſt pauca: *Ita prouidentia Creatoris cadaueribus Martyrum,*

rum, tam præclara miraculorum teſtimonia præſtando, abundantiorem honorem exanguibus hominum reliquijs, & quod, è vita migrante tanquam deforme iam remanet, ibi euidentius præſens vitæ dator appareat, & in 2. Sermone de eodem S. Vincentio. *Quid verò tanta cura ſeruauit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonſtrauit, niſi ſe gubernaſſe viuentem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Datianum viuens Vincentius, vicit & mortuus: viuens tormenta calcauit, mortuus maria tranſnatauit. Sed ipſe inter vndas gubernauit cadauer extinctum, qui inter vngulas animum donauit inuictum*. Alioquin ne miracula quidem à Deo facta, poſt mortem Filij ſui IESV Chriſti, fuiſſent ſufficientia ad oſtendendam ipſius innocentiam, & diuinitatem, quod nefas eſt dicere, vnde S. Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Quamquam homo ſit, qui crucifixus eſt, qui ſepultus, qui clauſus tumulo, quem lapis oppoſitus cohibet: tamen quæ foris aguntur oſtendunt Filium Dei: Sol fugiens, tenebræ ingruentes, velum ſciſſum, ſaxa dirupta, terra commota, mortui ſuſcitati &c.* Ille ipſe Centurio Gentilis his viſis conclusit: *Verè Filius Dei erat iſte*.

5. Miracula verò vitæ anteactæ conſona, & præcipuè poſt mortem edita, & à Sede Apoſtolica poſt rigidiſſimum examens approbata, facere euidentiam, credibilitatis, & eſſe certum argumentum diuinis teſtimonij de ſanctitate perſonæ, aſſeruerunt non ſemel Summi Pontifices, in Bullis Canoniz. cap. 2. relatis, Sic Honorius III. n. 14. de S. Laurentio Arch. Dublin. *De ipſius igitur ſanctitate, tantis certificati miraculis, diuinumq́; ſecuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis, tam euidentibus innotuit argumentis &c.* & Gregorius IX. nu. 15. de S. Antonio Patauino: *Viuens in cœlis multis coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas certis indicijs comprobetur*. Et Innocentius IV. num. 20. de S. Stanislao: *Dominus volens eiuſdem plenitudinem gloriæ, indicijs exprimere manifeſtis,*

tot, & tantis fecit ipſum famoſis coruſcare miraculis. Et Vrbanus IV. de S. Richardo num. 22. *Signis ſaltem euidentibus acquieſcant*. Et Ioannes XXII. de S. Thoma Herford, num. 27. *Decebat vt Sanctum hunc in cœlis regnare ſecum, per ſignorum euidentiam fidelibus declararet*. Et num. 28. idem Ioannes XXII. de S. Thoma Aquinate miraculis poſt mortem illuſtri. *Hæc ſunt teſtimonia tua Deus, quæ de hoc viro iuſto nobis credibilia facta ſunt nimis: nam ſi teſtimonium hominum accipimus teſtimonium Dei maius eſt*. Et num. 36. Innocentius VIII. de S. Leopoldo. *Maxima ſunt hæc ſanctitatis, & diuinæ approbationis ſigna, clariſſimis documentis comprobata*. Detrahit ergo tantorum Pontificum iudicio, qui talibus detrahit miraculis, negãdo eſſe certum argumentum ſanctitatis perſonæ, cuius gratia fiunt: Immo detrahit non ſolùm Nicodemo aſſerenti Io. 3. *Scimus quia à Deo veniſti Magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum eo*, aut cœco nato apud Ioannem 9. aſſeueranti de Chriſto: *Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quicquam*; ſed ipſimet Chriſto de ſuorum miraculorum vi ad obligandos Iudæos, vt ipſum Sanctum Sanctorum, & Meſſiam crederent ſæpius loquenti: vt Ioann. 5. *Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*, & Ioannis 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent &c.*

6. Porrò quamuis quidam Theologorum in 22. S. Thomæ q. 178. art. 1. putent poſſe Deum de abſoluta potentia concedere alicui donum miraculorum, & permittere, vt eo abutatur ad teſtificandum falſum, quod docent Durandus q. 1. Prologi, Suarez tomo 2. in 3. p. diſp. 31. ſect. 2. Albertinus tomo 1. q. 3. Theolog. coroll. 3. ex 3. princip. Philoſ. dub. 2. Ripalda de Ente ſupernaturali diſp. 11. ſect. 6. nu. 33. & alij; De potentia tamen ordinaria negant omnes poſſe Deum permittere, vt quis gratia miraculorum vtatur tanquam

quam ſigillo ſuo ad falſum confirmandum, cum ipſe Deus verbo ſuo ſcripto ad miracula vera, & ſufficienter examinata, & approbata homines remittat in dubio de veritate dogmatum. Sic Marci vltimo dicitur de Prædicatoribus Euangelij: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Sic Petrus Actor. 3. ſanato in nomine IESV claudo dixit: *Deus in fide nomini eius hunc, quem vos videtis, & noſtis confirmauit, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*. Et ad Hebr. 2. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus*. Hinc illud S. Thomæ ſupra art. 2. *Si Propheta pronunciaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando, ex hoc ſigno conuinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur*. Et antea S. Auguſtinus in quæſtionibus vet. & noui teſtam. c. 114 ſanctitatem doctrinæ miraculis confirmatam inculcans ait: *Nos verò Deo noſtro nõ credidiſſemus, niſi nobis ſatisfeciſſet teſtimonijs virtutum, nec legem eius ſuſcepiſſemus, ſi non illam puram, & ipſa profeſſione condignam agnouiſſemus*; & ibidem: *Hinc factum eſt vt Dei prouidentia, prædicationi ſuæ virtutem adiungeret, vt veritas prædicationis, virtutis teſtimonio probaretur: vt qui verbis contradicerent, virtutibus non auderent*. Et S. Gregorius homil. 15. ſuper Ezechielem. *In ſacro eloquio patrum præcedentium, & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audiuimus. Ibi nanq; cognoſcimus, quod alius potuit mare diuidere, alius Solem figere, alius mortuum ſuſcitare, alius paralyticum erigere, verbo, & vmbra ægrotos curare, alius per ſua ſemicinctia infirmantibus febribus obuiare: qui tamen omnes patientiæ longanimitate, mites & zelo rectitudinis feruentes fuerunt verbi prædicatione diuites, ſimul & miſericordiæ largitate. Hi itaq; quam vera de Deo dixerint teſtantur miracula, quia talia per ipſum non fierent, niſi vera de illo*

narrarent. Et quàm pij, quàm humiles, quàm benigni extiterint eorum teſtantur operationes: Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conſpicimus, & in fide, quam ab eis accepimus confirmamur. Iure igitur merito Summi Pontifices in Canonizatione Sanctorum vſi ſunt miraculis ad confirmandam non ſolum ſanctitatem perſonæ, ſed etiam doctrinam fidei Catholicæ, vt liquet ex relatis à nobis Cap. 2. & docent verba illa num. 18. Innocentij: *Qui ipſam Matrem Eccleſiam fide, ac opere profitentur.* & num 31. vbi Eugenius IV. *His itaque, & alijs miris operibus Sācti huius adſtruētibus ſanctitatem, & Chriſtianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente.* & num. 33. Calliſtus iij. de S. Vincentio Valentino ait: *Signa ex eo conſecuta fuiſſe, quæ ad cognoſcendum fideles, ac Dei Miniſtros veritas in ſuo Euangelio demonſtrauit pro informatione ſuæ Eccleſiæ, ne poſſet errare.* Errare igitur non poteſt, qui poſt miracula habentia conditiones, de quibus ſupra, certam crediderit, ſiue ſanctitatem perſonæ canonizatæ, ſiue etiam doctrinam ab ipſa prædicatam, & talibus ſignis confirmatam.

7. *Quartò* ex S. Auguſtino, vel Gregorio in Dialogis c. 24. *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in tormētis.* Reſpondeo, ſi hęc verba in aliquo eorū codice reperiantur, intelligēda eſſe non de Sanctis à Sede Apoſtolica canonizatis, ſed de hypocritis aliquibus plebem decipiētibus, vel de Reliquijs ſuppoſititijs, aut de falſis Martyribus, quos Donatiſtæ, alijuè Hæretici honorauere pro Sanctis. Idemq; dicendum de occiſo in ebrietate, quem Papa vetuit coli pro Sancto, vt quidam imperiti cœperant, & retulimus ſupra ex cap. *Audiuimus de Reliq. & vener. Sanct.* Sic in Martyrologium Vſuardi ſub d. 21. Iunij irrepſit pro Euſebio Samoſateno, Euſebius Cæſarienſis Arrianus, imò (teſte S. Hieronymo l. 3. aduerſus Rufinum c. 4.) Arrianorum anteſignanus, & ſub 29. Martij Marcus quidam Artu-

Quidam falsò habiti pro Sanctis.

ſius,

ſius, vt de vtroq; docet Baronius in notis ad Martyrologium ſic Huſſitæ Ioannem Huſs, & Lutherani Lutherum Beatum iactitant, & colunt, ſed hæc nihil contra nos.

8. *Quintò*, Quæſtio an aliquis ſit Sanctus nec ne, eſt Quæſtio Facti: nō iuris, At communis eſt opinio Theologorum, & Canoniſtarum, Papam errare poſſe in Queſtionibus Facti, quia Chriſtus non promiſit illi infallibilitatem, niſi in rebus ad Fidem ſpectantibus, & ad Religionem Chriſtianam, legeſq; morum, & ad eam pertinentium. Reſpondeo concedendo Minorem propoſitionem de Quæſtionibus Facti ſpectantibus ad forum humanum, & externum, in quibus Papa procedit quidem vt ſupremus Iudex in terra, ſed vt homo, non autem definiēs ex Cathedra, vt Chriſti Vicarius, ideoq; poteſt in his non ſecus ac alij Principes, & Iudices humani errare, damnando aliquem conuictum de hæreſi prolata, qui per calumniā delatus, & per teſtes conuictus fuerit, & tamen reuera illam non protulerit, vel deponendo aliquem de Sede Epiſcopali, qui coràm Deo tale quid non meruerit, ſed nego Minorem de Quæſtionibus Facti vniuerſaliter ſumptā, multæ enim ſunt quæſtiones Facti, quæ directè, aut indirectè ſpectant ad Fidem, & Religionem Chriſtianam, in quibus Papa errare non poteſt, vt oſtendemus libro 3. & inter has eſt quæſtio de Sanctis canonizandis, quæ quomodo ſit media inter queſtiones de articulis Fidei, & inter queſtiones fori humani externi, ad mentem S. Thomæ expoſuimus cap. 1. num. 15. Non ſit. Quæſtio Facti.

9. *Sextò* Dato quod Canonizatio Sanctorum ita ſit quæſtio Facti, vt ſpectet tamen ad Fidei diſcrimen, & confirmationem, & Religionis Chriſtianæ ſolidum incrementum; Papa tamen ſeorſim à Concilio in hoc, & ſimilibus errare poteſt. Reſpondeo ad hanc, licet aliquibus odioſiſſimam quæſtionem (quam non eſt huius loci tractare) cum longè communiori, & veriſſima ſententia Theologorum poſt damnatam in Concilio Florentino opinionem in hoc Concilij Con-

ſtantienſis, & Baſileenſis, reſpondeo inquam negatiuè; & in caſu de canonizatione idem ſentit Eugenius relatus à nobis cap. 2. nu. 5. dum dixit. *Sedem Apoſtolicam eſſe firmamentum, ac robur Conciliorum.*

10. *Septimò.* Communis eſt doctrina Theologorum, Papam non poſſe condere nouos articulos fidei; ſed ſi ſanctitas perſonæ canonizatæ à Papa eſſet adeo infallibiliter vera, vt eſſet credibilis de fide, Papa conderet nouos articulos Fidei, ergo &c. Reſpondeo concedendo maiorem de Articulis Fidei preſsè ſumptis, ac primarijs, qui ſcilicet credendi ſunt poſitiuo actu ab adultis, de neceſſitate medij explicitè, aut implicitè, cuiuſmodi ſunt duo illa, de quibus Apoſtolus ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd ipſe eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; Et quod tres Perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, & quod Chriſtus, eſt Deus & homo, & reliqua in ſymbolo fidei contenta. Sed nego maiorem de Articulis fidei ſecundarijs, & latè ſumptis, cuiuſmodi ſunt plurimæ veritates à Papa per ſe, vel per Concilium ſucceſſu temporum definitæ, ac declaratæ, quæ licet non eſſent omnes credendæ actu poſitiuo vi præcepti affirmatiui, credibiles tamen ſunt de fide, imò credendæ vi præcepti negatiui vetantis eas negare ſub pœna anathematis, aut ſub periculo hæreſis, & inter has cenſemus eſſe veritatem de Sanctitate, & Gloria Sanctorum à Sede Apoſtolica canonizatorum.

11. *Octauò* Nemo ſine ſpeciali Dei reuelatione ſcire poteſt ſe certò, & infallibiliter eſſe iuſtum coràm Deo, & in Gratia ſanctificante, *Cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum*, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtificatione cap. 9. ergo multo minus poteſt Papa ſcire, alium eſſe vel fuiſſe Sanctum coràm Deo, quia ex 1. ad Corint. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Reſpondeo

Papa neſcit internum ſtatũ hominum

dèo

deo negando conſequentiam, quia Papa in hoc negotio poſt teſtimonium Diuinū ex miraculis approbatis nititur inſpirationi ſpeciali diuinæ occultæ quidem, & internæ, ſed ſufficienti ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti, qui ex eadem 1. ad Corinth. 2. *Spiritus Dei omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.*

12. *Nono* Papa errare poteſt, ſi non errore practico, ſaltem ſpeculatiuo in inſtitutione Feſti celebrandi pro perſona, vel re ſancta, quæ reipſa, & coràm Deo non ſit ſancta, eſto talis prudentiſſimè reputetur; ergo & in Canonizatione Sanctorum. Reſpondetur negando Antecedens, iuxta ſeorſim tractanda, de hoc puncto lib. 2. Inſtit. Feſt

13. *Decimo*. Obijcit Cano, & Raynaudus in Heteroclitis tomi 15. folio 250. non eſt de fide hoſtiam conſecratam, quæ publicè colitur, eſſe cōſecratam, etiam ſi ad eam, vel in ea in gratiam piè credentium fiant miracula; ergo, nec eſt, nec eſſe poteſt de fide, Sanctum à Papa canonizatum, eſſe reuera Sanctum. Reſpondeo negando paritatem, & conſequentiam: Papa enim non definiuit, (quod ſciatur) talem in indiuiduo Hoſtiam eſſe conſecratam, ſeu ſub hac numero hoſtia contineri Corpus Chriſti: id enim, ſi ex Cathedra definiret tenendum eſſet de fide. An autem Deus ediderit miracula in hoſtia aliqua, quæ fuerit non legitimè conſecrata incertum eſt, & incredibile, gratiſq; ſuppoſitum ab aduerſarijs. Hoſtia cōſecrata.

14. *Vndecimo* Multa miracula, inquit idem Raynaudus, edita referūtur in gratiam Conceptionis Immaculatæ B. Virginis, & tamen liquet eam veritatem non eſſe fide diuina certam: Ergo quotcunque, & quantacunque miracula præcedant Pontificiam canonizationem alicuius Sancti, illa non eſt certa de fide, vi talis canonizationis. Reſpondeo negando hic pariter paritatem, quia licet Præſeruatio Deiparæ à peccato Originali, ſit certa certitudine Cōcluſionis Theologicæ, vt aliàs docui; nondum tamen eſt definita expreſsè à Sede Apoſtolica, à qua tamen expreſsè non pauci definiti fuerunt Immacul. Cōceptio Deiparæ.

eſſe

eſſeSancti, vt patet ex relatis capite 2.

15. *Duodecimò* ex Melchiore Cano, & Raynaudo, quorum verba protulimus cap. 1. num. 3. & 6. ſic obijci poteſt. Definitio quòd aliquis canonizatus à Sede Apoſtolica ſit Sãctus, & in gloria; eſt concluſio deducta per ſyllogiſmum ex duabus propoſitionibus, quarum maior quidem certa eſt de fide, minor tamen certa non eſt, ſed abſolutè obnoxia falſitati, ergo talis definitio, & concluſio non poteteſt eſſe certa de fide, quia ex Dialectica, & receptiſſima regula, concluſio ſequitur ſemper debiliorem partem. Antecedens probatur, quia deducitur ex hoc ſyllogiſmo: *Qui piè vixit, ac piè mortuus eſt Sanctus eſt, & poſt deterſum ex vitæ præſentis maculis contractum reatum, eſt beatus, ac Cælo infertur; Atqui, exempli gratia, S. Gregorius piè vixit, & piè mortuus eſt, iamque deterſus eſt reatus, ſi quem contraxit ex vita præſentis maculis; Ergo S. Gregorius Sanctus eſt, & beatus, ac Cælo illatus*: Huius ſyllogiſmi maior certa eſt de fide ex definitione. Benedicti XII. in extrauagante, quæ incipit. *Benedictus Deus*, relata ad verbum ab Alphonſo de Caſtro lib. 3. contra hæreſes verbo Beatitudo, & antea ex Innocentio III. in cap. *Apoſtolicam*: extra. *de presbytero non baptizato*. Sed minor non eſt certa, quia pendet ab humanis teſtimonijs fallibilibus.

Teſtimonij humani fallibilitas.

Reſpondeo: negando antecedens: Definitio enim, quam Summus Pont. declarat aliquem eſſe Sanctum, & in Gloria, licet diſpoſitiuè, & aliqualiter ſupponat aliquos diſcurſus ſyllogiſticos, tanquam conditiones, quibus inueſtigatur diuinum teſtimonium; formaliter tamen non eſt concluſio affirmans prædicatum Sanctitatis, & Gloriæ de aliqua perſona tanquam ſubiecto, præcisè vi connexionis, quàm habent ex medio termino, ſeu quatenus deducta eſt per legitimum diſcurſum, ex Maiori propoſitione certa de fide ob teſtimonium Dei inſpirantis, & Minori incerta ob teſtimonium humanũ: ſed eſt formaliter Definitio, ſeu propoſitio definitiua, ha-

habens pro motiuò formali promiſſiones Chriſti factas ſui Vicario, de aſſiſtentia Spiritus Sancti, ne in tanto negotio fidem Chriſtianam, & Religionem concernente erret, præuio teſtimonio, ac reuelatione diuina in particulari applicata tali perſonæ cum tanta certitudine, quanta ſufficit, & requiritur, vt non poſſit dubitari prudenter ſanctitatem, & gloriam talis perſonæ eſſe iam a Deo reuelatam; adeòq; eſſe euidenter credibilem. Patet hoc ex Bullis Canonizationum cap.2. delibatis: Summi enim Pontifices poſtquam ex longo,& exquiſitiſſimo ex amine, de vita, & miraculis alicuius, poſt mortem potiſſimùm à Deo editis cenſuerunt omnia, vel aliqua ex illis eſſe verè Miracula,atque adeò Deum per ea teſtimonio ſuo reuelaſſe Eccleſiæ ſuæ ſanctitatem, & gloriam illius,iudicant eam habere euidentiam credibilitatis,non minorem,quàm alias propoſitiones,miraculis confirmatas,atq; adeo definibilem eſſe,poſſeq;huic applicari auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, & abſq; periculo erroris ſuppoſita aſſiſtentia diuina ſibi à Chriſto promiſſa, poſſe definiri; quo iudicio iam facto à ſe, & ab alijs Eccleſiæ primoribus, quorum conſenſum ad abundantiam, non ad neceſſitatem exquirunt, ſi experiantur, ſe abſque vlla formidine interius illuminari, & promoueri à ſuggeſtione, ſeu inſtinctu Spiritu Sancti, interiore auditu ſentientes, quid loquatur in ipſis Dominus, deueniunt ad Canonizationem, & abſq; alio diſcurſu, nec per modum argumentationis, ſed per modum immediatæ definitionis,decernunt talem perſonam Sanctam eſſe,& in gloria, ideoq; cultu Sanctorum in cœlo iam exiſtentium celebrandam eſſe.

Ad probationem antecedentis (dato quod definitio Papalis eſſet Concluſio formaliter,& certa tantum ea certitudine, qua præmiſſæ ſunt certæ) nego eam fundatam eſſe in ſyllogiſmo ex Aduerſarijs formato potiùs quam in alio;aut ſi fundaretur in illo, Minorem eſſe incertam, quia eius probatio non

ex ſolo teſtimonio humano ſumenda eſt, ſed ex diuino teſtimonio, & reuelatione, obſcura quidem, ſed ſufficienter notificata, vt in alijs de fide credendis, aut credibilibus. Potius enim formandus eſſet hic ſyllogiſmus. *Illa perſona verè ſancta eſt &c. cuius Sanctitatem Deus obſcurè reuelat, per miracula vera, & irrefragabilibus teſtimonijs ità aſſerta, vt pro talibus agnita ſint, & approbata à Sede Apoſtolica. Atqui Sanctitatem S. Antonij Luſitani dicti de Padua, Deus ſic reuelauit. Ergo S. Antonius &c. verè ſanctus eſt.* Quod adeo creditur in Eccleſia, vt quaſi antonomaſticè Sanctus appelletur. Minor autem facti euidentiâ iam innotuit Catholicis, non ſecus ac multa alia per Bullas, aut litteras Apoſtolicas notificata Eccleſiæ. Item formari poſſet hic quoque ſyllogiſmus: *Illius perſonæ ſanctitas de fide credibilis eſt, & definibilis à Sede Apoſtolica, & poſt definitionem credenda de fide, ſeu non neganda à nolentibus hæreſim incurrere, aut errorem in fide, cuius ſanctitas à Deo reuelata eſt Miraculis veris, & irrefragabilibus teſtimonijs ita aſſertis, vt pro talibus agnita ſint, & approbata ab ipſamet Sede Apoſtolica, ſed talis eſt ſanctitas S. Antonij &c. ergo.*

Raynaudus correptus.

16. *Decimo tertiò.* Raynaudus in Heteroclitis tomo 15. fol. 250. contra Bzouium in ſuo Romano Pontifice c. 32. aſſerentem iudicium Eccleſiæ de Sācto, Canoizato eſſe certum de fide, quatenus innititur aſſiſtentiæ Spiritus Sancti: ſic inſurgit: *Non ſubſiſtit ea diſtinctio, quia nō modo Eccleſia, ſed etiam nullus planè mortalium errare poterit, ſi ſpectetur quatenus, innititur aſſiſtentia Spiritus Sancti. Probandum ergo Bzouio fuerat diuina fide certum eſſe, quod Pontifex in iudicio de quo agimus habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti*: ſed primo nego illationem priorem, Bzouius enim loquitur cum S. Thoma de aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa Vicario Chriſti, & eo mediante tamquam capite toti Eccleſiæ; qualis non eſt promiſſa ſingulis fidelibus ſeorſim, nedum ſingulis mortalibus;

quid

quid quid hæretici dicitent de ſpiritu interno ſingulis dato ad interpretandas ſcripturas; Nego pariter ſecundam illationem; ſufficit enim cum fundamẽto probare Deum promiſiſſe aſſiſtentiam ſuam Petri ſucceſſoribus in hoc tanto negotio ad Fidem, ac Religionem Chriſtianam pertinente, ſicut in legibus ad mores Eccleſiæ ferendis, & in approbatione Religionum, eſto hæc probatio non eſſet certa de fide. In dubio autem ſtandum eſt ipſis Summis Pontificibus, qui hoc ipſo, quod ad canonizandum aliquem profitẽtur ſe deuenire confiſos de Deo, quod non permittet ipſos in hoc tanto negotio errare, & ideo interpoſita auctoritate ipſius Sanctiſs. Trinitatis, abſolutè & incunctanter definiunt talem perſonam eſſe ſanctam, vt iam retulimus cap. 2. interpretantur vtique ſibi aſſiſtere Spiritum Sanctum, & hanc eſſe vnam de veritatibus, de quibus Chriſtus dixit *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, & definitionem de ſanctitate perſonæ in Eccleſia defunctæ indefectibilẽ eſſe vi illius infallibilitatis fundatæ in dicto Chriſti: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* In dubio enim de ſenſu ſcripturæ nemo melius eam interpretatur, quam Summus Pontifex, ſiue illam expreſſis verbis, ſiue facto ipſo exercitè illam ſic interpretetur.

17. *Decimoquartò* ex eodem Raynaudo ſupra, & ex Cano: Summus Pontifex nihil poteſt definire abſolutè, & infallibiliter, quod non ſit expreſſum in Dei verbo ſcripto vel tradito, aut ab expreſſis per certam, & euidentem conſecutionem non deducatur; ſed huiuſmodi non eſt Sanctitas eorum, qui non aliunde noſcuntur Sancti, quàm ex canonizatione Pontificia, ergo &c Reſpondeo negando Maiorem, cuius falſitatem oſtendemus lib. 3.

18. *Decimoquintò*. Eſto miracula, quæ inducunt Summum Pontificem ad aliquem canonizandum certitudinem gignerent de defunctæ perſonæ ſanctitate; eam tamen non gignunt de ipſius gloria: non repugnat enim eam adhuc eſſe in

Purgatorio, & tamen miracula fieri ad eius ſanctitatem meram adſtruendam; ſicut Eliſeus nondum erat beatus in gloria cœleſti, ſed in ſinu Abrahæ detentus, & tamen, vt narratur 4. Regum cap. 13. *Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*; Vnde de illo dicitur Eccleſ. 48. *Et mortuum prophetauit corpus eius: in vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt*. Sic S. Seuerinus erat in Purgatorio, quando reputabatur Sanctus.

Reſpondeo negando aſſumptum, & probationem ſumptam ex Eliſei miraculo: licet enim poſſint fieri miracula diuinitus ad confirmandam meram ſanctitatem animæ adhuc in Purgatorio detentæ, & ad eius preces, vel aliarum in communi inuocatarum aliqui mirabiliter liberati fuerint à malis, vel periculis, aut obtinuerint per eas, quod deſiderabant: de Sanctis tamen canonizatis à Sede Apoſtolica tenenda eſt infallibiliter non ſolum eorum Sanctitas, ſed etiam Beatitudo cœleſtis, poſtquam cœlum ab Aſcenſione Domini patuit Sanctis, quod non patebat antea; Ratio eſt quia ita profitentur ſentire ſe Summi Pontifices, vt ex verbis ipſorum cap. 2. relatis conſtat, & ita iudicant ex circumſtantijs miraculorum, & ſanctitate inſigni vitæ anteactæ, & plerumq; ex longo interuallo temporis lapſi à morte ad canonizationem. Deinde cum præcipiant eos honorari vt Sanctos diebus feſtiuis, & ſæpe Officio, ac Miſſa; cuiuſmodi cultus ex traditione, & conſuetudine Eccleſiæ non exhibetur niſi Sanctis iam glorificatis, adeo vt iniuria fieri ipſis reputetur, ſi oretur pro ipſis; & ſic tali præcepto implicitè vetetur oratio pro ipſis, quod nullum eſſet ſi adhuc degentes in Purgatorio ſuffragijs indigerent, ſatis declarant eos eſſe infallibiliter Beatos. Sanctus autem Seuerinus quando erat in Purgatorio, non erat canonizatus. Sæpius autem inculcauimus Summos Pontifices

non

non niti miraculis tantum, ſed promiſſione diuinæ de aſſiſtentia in tali iudicio.

19. *Decimoſextò*: In Cæremoniali collecto à Chriſtophoro Marcello, dicatoque Leoni x. lib. 1. ſect. 6. cap. 2. ponitur hæc proteſtatio facta à quibuſdam Pontificibus ante canonizationem: *Antequam ad pronunciationem veniamus proteſtamur publicè apud vos præſentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere quod ſit contra fidem, aut Eccleſiam Catholicam, ſiue honorem Dei.* Sed idem fatetur factum ex cauſa, quæ poſtea ceſſauit, quando Papa coactus quodammodo contra ſuam opinionem trahebatur ad canonizandum, quod rariſſimè cenſetur eueniſſe. Vel dic hoc factum contra aliquos, qui putarent oppoſitum, vt declararet ſuam intentionem non eſſe illis conformem, ſed ſe exiſtimare poſſe canonizari Sanctos, ſaluis omnibus, quæ ad fidem Catholicam ſpectant; fuere enim hæretici qui dixerunt iniuriam fieri Chriſto in cultu aliorum Sanctorum, cum videremur ſpargere deuotionem in membra Chriſti, nec ipſi ſoli fidere.

CAPVT VI.

Soluuntur reliquæ præcipuè Quæſtiones de Abſoluta Infallibilitate Sanctitatis, & Gloriæ Sanctorum à S. Sede Apoſtolica Canonizatorum.

QVæritur *primò*, An Papa delegare poſſit alteri ſiue Legato, ſiue Cardinalibus, ſiue Concilio poteſtatem canonizandi aliquem infallibiliter? Reſpondeo negatiuè, cum adductis cap. 4. nu. 4. ob rationem ibi allatam, quibus adde eos, qui cum Banne in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 4. dicunt eum non poſſe delegare Legatis poteſtatem definiendi res fidei; quod idem docet Aragonius in 2. 2. q. 1. art. 10. tract. de Concil. verſu 3. vbi quod dicit de Concilio intelligendum eſt prout dirigitur à Papa, vel poſtea approbatur. Quæſtio 1. de delegatione.

Nec obſtat, quod Clemens III. vt refertur in Chronico Bambergenſi per litteras datas anno 1189. videatur commiſiſſe Epiſcopis eius regionis canonizationem S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis: reuera enim ijs tantummodo commiſit inquiſitionem vlteriorem de ijs, ob quæ ſi vera erant, decreuit canonizandum eſſe, & purificata conditione, promulgandi canonizationem à ſe ſub conditione decretam, verba enim Clementis ſunt hæc: *Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de Vita ipſius, & Miraculis diligentiùs inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata, & ſi non inueneritis aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum, Auctoritate freti Apoſtolica ſolemniter, & publicè annuncietis.* Non dixit *Canonizetis*. Dixi autem infallibiliter, quia Canonizatio olim fieri ſolita ab Epiſcopis, de qua Baronius in notis ad Martyrol. 2. Aprilis, non erat infallibilis, & certa de fide, quandiu non accedebat approbatio Sedis Apoſtolicæ.

2. *Quæritur ſecundò* An diligentia in examine vitæ, & Miraculorum, ſit neceſſaria ad validitatem canonizationis, an ſolum ad licitam, & prudentem Canonizationem; quæ quæſtio fieri etiam ſolet de definiẽdis rebus Fidei, & morum. Requiri ad validitatem affirmant Cano de locis Theolog. lib. 5. cap. 5. q. 3. & Bannes in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. ſed negant Azorius part. 2. Inſtit. moral. lib. 5. cap. 5. q. 3. Fagundez lib. 1. de præceptis Eccl. cap. 4. nu. 31. & alij apud ipſos, quia Chriſtus non alligauit hoc prudentiæ, aut diligentiæ Petri, & Succeſſorum eius, ſed abſq; limitatione dixit. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, non autem dixit, *vt non deficiat prudentia tua*; ſicut non alligauit infallibilitatem effectus probitati, aut prudentiæ Sacerdotis conſecrantis Corpus Dominicum, aut baptizantis: Non per hoc tamen exemptus eſt Papa ab obligatione naturali adhibendi diligentiam tanto negotio debitam; ſed cum ea magnam latitudinem habeat, ſi eſſet neceſſaria ad validitatem, poſſet ſæpe titubare Eccleſia,

Diligẽtia nõ neceſſaria ad Validitatem.

& daretur occaſio ouibus de ſuo Paſtore diſcutiendo. Nobis ſufficit ex hactenus factis canonizationibus ſecuros eſſe, non permiſſurum Deum, vt ſummus Pontifex ſine aliqua magna diligentia talia definiat, vel ſi id aliquando permitteret, ſignum id fore eam non eſſe neceſſariam ad validitatem, & etiam imprudenti Papæ aſſiſteret, vt non erraret.

3. Quæritur *Tertio*, An ante Definitionem Pontificiam, poſſit alicuius perſonæ iam defunctæ Sanctitas tot, ac talibus miraculis diuinitus confirmari, vt apud aliquos poſſit credi reuelata à Deo, & ideo credibilis ſit illis de fide? Reſpondeo affirmatiuè, iuxta dicta in Tractatu de Fide, vbi de miraculis veris, & idoneis ad faciendam euidentiam credibilitatis, & eo maximè ſi eſſent approbata per Sedem Apoſtolicam, ante canonizationem. Credibilitas ante Canoniz.

4. Quæritur *Quartò*, an ſit de fide Sanctos canonizatos à Sede Apoſtolica, eſſe reipſa, & coràm Deo Sanctos? Reſpondeo affirmatiuè cum Doctoribus cap. 1. pro 3. Opinione adductis, ſed cũ diſtinctione: Nam ſi in Canonizatione Pontifex expreſsè definiuerit, decreuerit, ſeu declarauerit aliquam perſonam *eſſe Sanctam*: tunc abſolutè dico id eſſe de fide non ſecus, ac alias propoſitiones in terminis, & expreſſè definitas à Sede Apoſtolica, & ſpectántes ad fidem, Religionemq; Chriſtiana, & mores Eccleſiæ: iuxta dicta, & probata cap. 3. & 4. ſi verò non ſic definiuerit, ſed implicitè ſolum id præſtiterit declarando ſolum, vel ſtatuendo, vt adſcribatur catalago Sanctorum, & non præcipiendo, vt habeatur ab vniuerſa Eccleſia, pro Sancto, ſed ſolum vt colatur tanquam Sanctus, tunc dico probabiliter eſſe de fide; quia valde probabile eſt ne in hoc quidem caſu, & forma canonizationis Deum permittere, vt Papa erret, & in hoc pariter eum ex præuio teſtimonio Diuino, & reuelatione interiori, niti promiſſionibus Chriſti de aſſiſtentia Spiritus Sancti. An de Fide.

5. Quæritur *quintò*, an ſanctitas perſonæ canonizatæ à Se-

de

Diſcrima inter credibile, & credendū

de Apoſtolica per definitionem ſiue expreſſam, ſiue implicitam, ſit ita de fide, vt ſit non ſolū credibilis poſitiuo actu Fidei Theologicæ, ſed etiam tali actu credenda dè neceſſitate præcepti affirmatiui? an verò credenda ſit de neceſſitate ſolius præcepti negatiui, ita vt non poſſit abſq; errore in fide negari: ſeu vt in ſcholis loquūtur aliqui; ſit neceſſario credēda quoad ſpecificationem, ſeu ſpeciem actus, non autem quoad exercitium, itaut ſi alteruter horum actuum poſitiuorum eliciendus ſit; verbi cauſa. *Sanctus Ignatius Loyola Sanctus eſt reuera, & coram Deo*, vel *S. Ignatius Loyola non eſt reuera, & coram Deo Sanctus*, teneamur ad priorem Affirmatiuum, & nō poſſimus abſq; errore in fide prorumpere in poſteriorem, & negatiuum. Reſpondeo eſſe credibilem, & inſuper credendam de fide neceſſitate ſolum præcepti negatiui prohibētis actum poſitiuè negantem; nuſquam enim reperitur præceptum neceſſitans ad actum poſitiuè affirmatiuum: præceptum autem de habendo, & colendo aliquo pro Sancto impleri poteſt coniungendo cum actu externo cultus, internum actum, quo piè, & prudenter æſtimemus talem perſonam ſanctam, etiam ſi non eliciamus tunc actum fidei. Aliter ſe res habet de Articulis Fidei primarijs.

Quid de Hæreſi.

6. Quæritur *Sextò*, an foret Hæreticus, qui negaret actu poſitiuo ſanctitatem perſonæ à Sede Apoſtolica Canonizatæ? Reſpondeo negatiuè, quia tolerantur adhuc in Eccleſia Doctores illi; qui iuxta opinionem. Capite primò relatam, negant eſſe infallibilem abſolutè definitionem Papæ in Canonizatione ſanctorum; & relati in 2. Opinione ita infallibilem putant vt non putent, aut non dicant eſſe de fide.

An in Gloria.

7. Quæritur *Septimò* Vtrum ſit de Fide Sanctos à Sede Apoſtolica canonizatos non ſolū eſſe Sanctos, ideſt in gratia diuina ſanctificante defunctos; ſed etiam in Gloria Cœleſti fruentes viſione Dei beatifica fuiſſe, ab eo ſaltem tempore, quo canonizati ſunt? Reſpondeo affirmatiuè ob rationes al-

la-

latas cap. 5. n. 18. & cum in Eccleſia Communi acceptione nomine Sanctorum intelliguntur illi, qui iam cum Chriſto regnantes, non indigent ſuffragijs Eccleſiæ militantis, ſed ipſi potius inuocandi ſunt, hoc ipſo, quod à Pontifice definitum eſt eſſe Sanctos, definitum quoq; eſt eſſe iam in Gloria.

8. Quæritur *Octauò* ſitne de Fide eos, qui à Sede Apoſtolica Beatificati tantum ſunt, ſed nondum canonizati, eſſe Sanctos, & in Gloria? Reſpondetur negatiuè cum omnibus ferè Doctoribus cap. 1. recenſitis, qui de hoc puncto tractant. Licet enim ego quoq; cum multis cenſeam, hanc quoq; declarationem Pontificiam eſſe infallibilem, & Spiritum Sanctum aſſiſtere Papæ, ne in hoc negotio, quod per ſe magnum eſt, & ad Fidem Religionemq; Chriſtianam ſuo modo pertinens, erret, non exiſtimo tamen eorum Sanctitatem, & Gloriam certam eſſe de Fide, quia non eſt declarata à Sede Apoſtolica per vltimam ſententiam definitiuam, nec vniuerſæ Eccleſiæ mandatum, vt colatur tanquam Sanctus, ſed ſolum alicui Ciuitati, Prouinciæ, aut Ordine Religioſo permiſſum, vt eius imago exponatur, & limitato cultu honoretur, prohibendo ne vlterius procedatur, donec illa perſona canonizata fuerit. Et licet prænomen *Beati* Sanctis quoque commune ſit adeo, vt dicantur *Beati Apoſtoli Petrus*, *& Paulus*, & *Beatus Marcus* &c. Immo plus ſit eſſe Beatum Beatitudine viſionis Dei, quam merè Sanctum, tamen nomen *Beatificationis*, comparitum cum nomine *Canonizationis*, ex vſu Eccleſiæ, & ſenſu Pontificum, minus ſignificat, nempè Beatitudinem perſonæ nondum ex vi definitionis Apoſtolicæ certam.

Quid de Beatificatis.

9. Quæritur *Nono*. Quot ſint ſpecies canonizationis, ſeu modi canonizandi aliquam perſonam directè; vel indirectè Reſpondeo eſſe Decem. *Primus* fuit per Sacram Scripturam in qua nominati ſunt aliqui homines, iam defuncti, tanquam iuſti, & Sancti, Deoque placentes: vt in ſacra Geneſi *Abel*, *Enos*, *Henoch*, *Noe*, *Abraham*, *Iſaac*, *Iacob*, *Ioſeph*. Et Deutero-

Species Canoniſmi.

ronom.34.ac 1.*Ioſue*; *Moyſes, & Ioſue filius Nun*, & Ezechiel. 14.Deus ipſe canonizat *Noe, & Daniel*, & *Iob*, & ab Eccleſiaſtici ſcriptore à cap.44.quod incipit: *Laudemus viros glorioſos* vſq; ad caput 50. incluſiuè recenſentur in catalogo iuſtorum quorum corpora in pace ſepulta ſunt, videlicet, *Henoch, Noe Abrahabam, Iſaac, Iacob, Moyſes, Aaron, Phinees, Ioſue, Caleb, Samuel, Nathan, Dauid, Ezechias, Ioſias, Elias, Eliſeus, Iſaias, Ieremias, Zorobabel, Ieſus filius Ioſedech, Nehemias, Ioſeph, Seth, Sem, Simon Oniæ filius*, Capite autem 10. dixerat Adamum *eductum fuiſſe à declito ſuo*. In libris autem Machabæorum tanquam Sancti laudantur *Iudas Machabæus, Eleazarus* cum ſeptem filius, & matre eorum. In Hiſtoria verò Euangelica præter Matrem Domini, quæ ſe Beatam fore prædire it, celebrantur *SS. Io. Baptiſta, Elizabeth, Zacharias, Simeon, Anna prophetiſſa, Zachæus vt filius Abrahæ, Ioſeph ab Arimathea, bonus latro* in Paradiſo receptus, & Ioan. 15.vndecim Apoſtoli, inter electos numerantur, & c.16.promittitur illis: *gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. In Actibus autem Apoſtolorum, celebrantur *SS. Stephanus, & Paulus vas electionis, Iacobus frater Ioannis* pro Chriſto occiſus, & ad Philippenſes 4.de Clemente, & alijs aſſeritur, *quorum nomina ſunt in libro vitæ*.

Secundus eſt per Traditionem, & conſuetudinem Eccleſiaſticam. Multi enim à primis Eccleſiæ temporibus, & poſteà ſucceſſiuè ab vniuerſa Eccleſia conſentiente eius capite culti ſunt pro Sanctis, abſque alia canonizatione, vt SS. Doctores Eccleſiæ, & *SS. Paulus* primus Eremita, *Antonius, Hilarion*, & Sanctæ *Maria Magdalena*; *Marta, Tecla*, &c.

Tertius eſt per Canonem Miſſæ, in quo certum eſt errorem eſſe nō poſſe, in eo autem *infra actionem* ſub verbo *Communicātes* nominantur poſt 12.Apoſtolos *Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Chyſogonus, Ioannes, & Paulus, Coſmas, & Damianus*, ſubiungendo, &

om-

omnium Sanctorum tuor. Et poſt *Memento* pro defunctis verbo *Nobiſquoq;* nominantur inter Sanctos Martyres *Ioannes, Stephanus, Matthias, Barnabas, Ignatius, Alexander, Marcellinus, Petrus, Felicitas, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnes, Cæcilia, & Anaſtaſia.*

Quartus eſt per Litanias ab vniuerſa tamen Eccleſia cum approbatione Sedis Apoſtolicæ vſitatas, quales ſunt illæ, quæ in Miſſali Romano mandantur recitari in feſto S. Marci, & in Rogationibus, habēturq; in fine Pſalmorum Pœnitentialium, & illæ, quæ habentur in Commendatione Animæ.

Quintus modus eſt per adſcriptionem in Kalendario Eccleſiaſtico Romano, quod præmittitur Miſſali, & Breuiario Romano, cum Officio, & Miſſa propria vel de Communi, aut Commemoratione alicuius Sancti.

Sextus modus eſt per inſtitutionem Feſti ad honorem alicuius Sancti celebrandi, etiam ſi nomen eius non ſit inſcriptum Kalendario Eccleſiaſtico, dummodo inſtitutum ſit, & non tantum toleratum à Sede Apoſtolica. Nam etiam in Bullis Canonizationum, mandata ſunt feſta celebranda aliquorum Sanctorum, quorum nomina non ſunt inſerta Kalendario Breuiarij, aut Miſſalis Romani, vt *S Thomæ Erphordienſis, S. Eadmundi, S. Ludouici Arch. Toloſani, S. Heduigis, S. Eliſabethæ Hungaricæ.* Immò non aliter canonizatus eſt à Paſchali II. S. Petrus Anagninus, quàm inſtitutione feſti.

Septimus Modus fuit per erectionem Altaris ſupra corpus defuncti conceſſam à Sede Apoſtolica; hoc modo canonizatum fuiſſe poſt quinquennium à morte S. Romualdum narrat B. Petrus Damianus in vita S. Romualdi cap. 72. & ex eo Baronius, ac Spondanus. Ad Annum 1027.

Octauus modus fuit per approbationem Reliquiarum ſacrarum, aut translationem Sanctorum cadauerum, cum celebritate factam, approbatione, & authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Nonus,& antiquiſſimus modus,ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ, vſq; ad noſtra tempora vſitatus, fuit per Martyrologium, non quodcunque, ſed Romanum, in quo licet Gregorius xiij. in litteris illi præfixis nominet indefinitè, & ſumpta denominatione à maiori potiorique parte omnes *Sanctos*, & in eo Martyrologio quidam abſolutè Sancti appellentur quidã tamen dicuntur Beati, latè ſumpto hoc vocabulo, v: cum 25. Aprilis dicitur: *Alexandriæ natalis B. Marci Euangeliſtæ*, & 1. Maij: *Natalis Beatorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi*. Sumpto tamen vocabulo hoc preſsè, aliqui *Beati* collocantur, quos conſtat Beatificatos tantùm fuiſſe; tales autem fuiſſe B. Ambroſium de Ord. Prædicat. B. Magdalenam de Patijs, B. Philippum Benitium, immò & SS. Romoaldum, Norbertum, Brunonem cenſet Fortunatus Saachus de notis ſanctitatis ſect. 11. cap. 4. ſed merito de tribus vltimis negat Caſtellinus, cum in Kalendario Romano inſerti ſint cum prænomine, & appellatione Sancti. Hoc modo, exempli gratia, canonizata eſt S. Roſalia Virgo Panormitana ab Vrbano viij. qui non ſolùm eius reliquias veneratus eſt, & de ſuo collo ſuſpẽſas geſtauit, ſed etiam eam cum appellatione Sanctæ Martyrologio inſcripſit ad 4. Septembris diem obitus, & ad 15. Iulij idem inuentionis corporis eiuſdem Virginis mirabiliter inuenti.

Decimus modus fuit per ſolemnem Canonizationem, & Bullas cum formulis de quibus cap. 2.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Inſtitutione Feſtorum per S. Sedem Apoſtolicam, tota Eccleſia celebrandorum, Immuni ab errore tam ſpeculatiuo, quàm practico.

CAPVT I.

Recenſentur breuiter Opiniones Catholicorum.

1 P*Rima* Opinio fuit aſſerentium Summum Pontificem, & Eccleſiam totam cum ipſo vnitam, in inſtituendo aliquo Feſto vniuerſaliter à Catholicis celebrando, pro perſona vel re ſancta, non poſſe quidem errare errore practico; poſſe tamen errare errore ſpeculatiuo, celebrando feſtum pro perſona vel re ſancta, quæ reuera, & coràm Deo non ſit ſancta: Ita ſenſere nonnulli aduerſantes Immaculatæ Virginis Conceptioni, ac dicẽtes ex Feſto pro Conceptione Inſtituto à Sixto IV. etiam cum Indulgentijs ad id inuitante, non rectè inferri Sanctitatem Deiparæ in primo inſtanti Conceptionis; Audiatur, eorum inſtar Vincentius Baronius Parte 4. Manuductionis ad Analyticam Theologiã lib. 1. ſect. 2. Paragrapho 2. vbi contra Petrum de Alua ex feſto Conceptionis, eius Sanctitatem probantem ait: *Veriſimiliter eſt Argumentatio à cultus, & Feſti inſtitutione: ſed neque etiam illa facit rem de fide certam, aut definiendam, vt obtendis. Non enim ignoras id ad pietatem, & praxim pertinere, & hoc eſſe ſummè notandum diſcrimen practicam inter, & ſpeculatiuam veritatem fidei: quod iſti nulla vnquam ſubeſſe falſitas poſſit, ſed nec etiam dubitatio debeat;* Vincent. Baron.

beat; & ideò probabilibus non ducitur fides, ſed omninò certis. Illa verò, quæ voluntatem dirigit practica veritas, cùm bonam mentem magis, quàm notitiam rei inquirat; neque euidentiam, neque certitudinem ſpeculatiuam ambit, aut curat, probabilibus tuta, & contenta: quibus ſemel conſtitutis indubitata ſunt prudentiæ iudicia. Dat verò exemplum de Hoſtia conſecrata abſolutè adoranda, & de ſacris Reliquijs ex pia, & probabili coniectura expoſitis ad venerationem, & de Martyrologio inſcriptis, de quo addit. *Quis neget quotquot Martyrologio inſcribuntur, poſſe coli, & votis inuocari? nec tamen puto Petrus contendet omnium, qui Martyrologio accenſentur fide diuina certam eſſe ſanctitatem, & gloriam. Hinc grauiſſimi Theologi cenſent, Decretum, quo in Diuorum album Sancti referuntur, ad fidem diuinam non pertinere, ſeu ad certam ſpeculatiuam veritatem. ſed ad practicam tantum, & ad affectum pietatis, ad quem ſatis, eſt probabilis, & prudens ratio, licet euidentia, & omnimoda certitudo deſit.*

2. Theophilus Raynaudus Tomo 15. in Heteroclitis ſect. 3. ſub finem puncti 1. docet Canonizationem Sāctorum non reddere ſanctitatem Canonizati certam de fide, & ſoluens argumenta in contrarium ait: *Sunt qui ad contrarium adſtruendum allegent miracula, quæ ſemper canoniſmo præcurrunt. Alij verò adducunt cultum feſtiuū, ſed neutra ratio eſt idonea.* & paulò infra: *Annuente enim, immò inſtante Eccleſia, Conceptio pura, & Immaculata publicè colitur ex prudenti iudicio, quod nulli errori practico eſt obnoxiū, vt definiuit Sixtus iiij neque tamen inde habetur, eam veritatem eſſe certam certitudine diuinæ fidei. Simile exemplum duci poteſt ex hac Hoſtia conſecrata, quæ abſq; vacillatione colitur. cum tamen de nulla ſingulari hoſtia fas ſit aſſerere tanquam ex fide certum, quod ſit conſecrata.*

3. Omitto hic conſulto Sectarios impugnantes Feſta Sanctorum, quia hic non diſputamus contra illos, vtpotè practicam

cam quoq; certitudinem, & prudentiam à cultu Sanctorum ſiue omnium, ſiue aliquorum excludentes, contra quos videri in primis poſſunt Thomas Vualdenſis in Doctrinali Fidei tit. 16. à capite 138. Bellarminus controuerſia 7. de Eccleſia Triumphante lib. 3. cap. 16. Alphonſus à Caſtro lib. 13. aduerſus hæreſes, verbo *Sancti*, Valentia tom. 3. diſput. 6. q. 2. puncto 7. & Raynaudus Tomo 15. in Heteroclitis ſect. 3. puncto 1. ſub initium. Interim ad Catholicos ſecundæ opinionis gradum faciamus.

4. *Secunda* opinio eſt, nec Summum Pontificem, nec totam Eccleſiam errare poſſe vllo errore in inſtitutione Feſtorum pro perſona, vel rè ſancta, ita vt ex talis Feſti inſtitutione, certa, & vera coràm Deo Sanctitas perſonæ, vel rei colligatur, ſiue deinde hoc certum ſit certitudine fidei, ſiue non, ſed certitudine tantum Concluſionis Teologicæ; Ita Suarez tomo 1. de Relig. lib. 2. c. 8. vbi docet Eccleſiam in cultu, & feſto inſtituendo, pro Conceptione B. Virginis non potuiſſe admittere errorem vniuerſalem. Idipſum docent quotquot ex Feſto Conceptionis Deiparæ à Sede Apoſtolica inſtituto, inferunt certam, & omnino infallibilem eius Sanctitatem, vt Ambroſius Catharinus l. 3. de Conceptione, Ludouicus Bloſius cap. 5. de dictis Patrum infra producendus; Ambroſius Pennaloſa in Vindicijs pro Concept. diſp. 11. cap. 3. Ægidius de Præſentatione lib. 3. de Præſeruat. Virg. q. 6. art. 1. §. 9. & 10. Fráciſcus de S. Ioſepho Capuccinus in Opuſculo de Conceptione dicato Paulo v. §. 4. Chriſtophorus Vüega in Theologia Mariana, Palæſtra 3, certamine 3. nu. 281. & certamine 18. num. 410 Iacobus Granado diſput. 2. de Concep. c. 30. eiuſq; diſcipulus Silueſter Saauedra in Sacra Deipara diſp. 18. num. marginali 392. Salazar de Concept. c. 43. §. 4. Hugo Sifilinus in Corolla Virginea propoſ. 15. 16. 17. 42. Ioannes Euſebius Nierembergius Opuſculo 2. Parthenico §. 7. & in Mantiſſa, quæ eſt inter Opera Parthenica à fol. 412.

& alij

& alij infra recenſendi cum ipſorum verbis.

5. Noſtra opinio eſt *Primò* infallibilem omnino eſſe illius perſonæ, aut rei ſanctitatem, in cuius honorem inſtitutum fuerit Feſtum à Sede Apoſtolica, celebrandum ab vniuerſa Eccleſia; vel conſuetudine vniuerſali per Eccleſiam introductum ſciente, & approbante Summo Pontifice Romano. *Secundò* prædictam Sanctitatem ita coràm Deo veram eſſe, vt certa ſit certitudine Concluſionis Theologicæ ex vna propoſitione de Fide, & ex altera naturaliter euidenti euidentia facti deductæ. *Tertiò* prædictam Sanctitatem, niſi acceſſerit Inſtitutioni Feſti, definitio Apoſtolica, de ipſa, non eſſe certam de Fide apud omnes, ſed apud eos tantum, qui cenſent Concluſionem Theologicam neceſſariò diſcurſu deductam, reuelatam eſſe à Deo, atq; adeo de fide credendam, aut credibilem, non quatenus Concluſio eſt, ſed quatenus Propoſitio fundata in Authoritate primæ veritatis, eam obſcurè reuelantis, quod cum aliqui Doctores Catholici negent, ideo non eſt hæreſis aſſerere oppoſitum.

Triplex Cóclusio noſtra.

Oportet nunc duas priores Concluſiones noſtras, Auctoritate, & Ratione confirmare; Nam tertia ſatis patet ex dictis libro 1. cap. 3. & 4. pro ſanctitate perſonæ certa de fide ex illis Canonizationibus, in quibus Summus Pontifex expreſsè definiuerit perſonam aliquam Sanctam eſſe, aut diſtrictè præceperit per Apoſtolica ſcripta *habendam eſſe prò Sancta.*

CAPVT II.

Auctoritatibus probatur Abſoluta Infallibilitas Sanctitatis Perſonæ, vel rei, in cuius honorem Inſtitutum ſit Feſtum à S. Sede Apoſtolica, vel approbatum, & celebrandum in vniuerſa Eccleſia.

1. NIcæni Concilij Decreta de Feſto Paſchatis referens Conſtantinus Magnus, qui interfuit, in Epiſtola de illo-

illorum Patrum conſenſu ſcripta ad Eccleſiaſticos, maximè Alexandrinos quæ habetur in tomo 1. Conciliorum, ſic loquitur. *Nec enim in re tam Sancta, ac ſolemni vlla diſſenſio debet exiſtere, immò verò hanc ſequi ſententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium ſit admixtum*. Senſere ergò Feſtiuitates Catholicorum nulla mixtura erroris ſiue ſpeculatiui, ſiue practici vitiari poſſe. Concil. Nicænū.

2. Sanctus Cœleſtinus Papa I. in 1. Epiſtola Decretali ait: *Legem credendi ſtatuit lex ſupplicandi*; Ergo ex modo quo Eccleſia publicè ſupplicat Sanctis, ſupponens eos eſſe iam Sanctos, & Beatos in Gloria cęleſti, colligitur lex, ſeu obligatio credendi eos eſſe tales, hoc verò modo ſupplicat in diebus Feſtis Sanctorum in vniuerſa Eccleſia celebratis, cum per eos tanquam tales in Orationibus Miſſæ, atq; Officij, aliquas gratias à Deo petat, vt percurrenti eas Orationes patebit, ſed illas præcipue, quibus ſupponitur talis Sanctus eſſe in Cœlo veluti 14. Ianuarij de S Hilario, & die 9. Maij de S. Gregorio Nazianz. *Præſta quæſumus, vt quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cœlis*, & 12. Martij. *Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*, & die 2. Aprilis de S. Franciſco de Paula: *Deus humilium celſitudo, qui Beatum Franciſcum Confeſſorem Sanctorum tuorum gloria ſublimaſti*, & die 26. Iunij: *Quæſumus Omnipotens Deus: vt nos geminata lætitia hodiernæ feſtiuitatis excipiat, quæ de Beatorum Ioannis, & Pauli glorificatione procedit*, & die 18. Iulij de S. Symphoroſa ac 7. Filijs eius: *Da nobis in æterna beatitudine de eorum Societate gaudere*, & die 30. Iulij: *Deus qui Sanctis tuis Abdon, & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti*, & die 14. Auguſti in Secreta de Aſſumptionis Vigilia B. M. Virginis: *Quàm idcirco de præſenti ſeculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat*, & die 15. in Secreta pro eodem feſto. *Quam & ſi conditione car-*

nis

nis migraſſe cognoſcimus: in cæleſti gloria apud te pro nobis intercedere ſentiamus, & die 25. Auguſti: *Deus qui Beatum Ludouicum Confeſſorem tuum de terreno regno ad cæleſtis regni gloriam tranſtuliſti*, & die 21. Octobris in Secreta de S. Vrſula, & Socijs, *vt ſicut per hæc beata Myſteria, illis gloriam contuliſti, ita nobis indulgentiam largiaris*, & ſic de ſimilibus.

3. Sanctus Leo Pontifex in 1. Epiſtola Decretali cap. 2. *Quia Spiritus Sapientiæ, & intellectus, ita Apoſtolos, & totius Eccleſiæ erudiuit Magiſtros, vt in Chriſtiana obſeruantia* Leo Papa *nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum, diſcernendæ ſunt cauſæ ſolemnitatum &c.* Sciebat enim ex inſtitutione ſolemnitatum pendere aliquas veritates Catholicas, & Spiritum Sanctum aſſiſtere Sedi Apoſtolicæ, quæ eſt Magiſtra totius Eccleſiæ, ne in feſtis publicè inſtituendis, aliquid inordinatum fiat: eſſet tamen enormis inordinatio, ſi publicò cultu, & ſolemni feſto celebraretur tanquam Sanctus, qui non eſſet coràm Deo Sanctus, ſed in Inferno inferiori eſſet mancipium diaboli.

4. S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis c. 1. dogma de S. Auguſt. Purgatorio, & ſuffragijs pro defunctis, ex ipſa Oratione Eccleſiæ pro fidelibus defunctis adſtruxit, dicens: *Sed etſi nunquam in Scripturis veteribus legeretur: non parua tamen eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad Altare fundũtur, locum ſuum etiam habet commendatio mortuorum.* Ergo ſimiliter veritas de ſanctitate, & gloria illorũ ſtabilitur, quos Eccleſia in diebus feſtiuis honorat vt Sanctos, & ad quos tanquam iam in Cœlo conſtitutos, fundit publicas preces in Officio, & Miſſa.

5. Idem S. Auguſtinus Tomo 10. in Sermone 113. qui eſt de S. Cypriano, reddit rationem, ob quam celebratur feſtum S. Cypriani die, quo Martyrium paſſus eſt, eumq; natalem vocamus: non verò diem, quo ex vẽtre Matris natus eſt, quia

hæc

hæc natiuitas non fuit ſancta, in Martyrio autem Sanctus migrauit hinc, & natus eſt in Cœlo. *Quid eſt hoc*, inquit, *fratres? quando natus eſt ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem eius hodie celebramus, ſed illum non celebraremus, etiamſi noſcemus; illo enim die traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum.* Quibus ſimilia dixit ſerm. 95. de diuerſis, de S. Stephano loquens: *Martyres autem ad mala certamina naſcendo venerunt; trahentes originale peccatum: moriendo autem ad bona certamina tranſierunt, finiendo omne peccatum*: Rurſus homil. 83. ſuper Ioannem, docet ideo in Sacra menſa non eſſe orandum pro Sanctis, quos colimus, ſicut oramus pro reliquis fidelibus defunctis, quia cũ ſciamus à Deo iam coronatos eſſe, potiùs ipſos orare debemus, vt orent pro nobis: *Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atq́ in conuiuio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, oportet vt quemadmodum ipſi, nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt ipſi pro nobis orent.* Inanis autem eſſet celebratio, ſi non pro certo ſupponeret Eccleſia eos eſſe in tali loco, vt non indigeant noſtris ſuffragijs, ſed nos indigeamus eorum precibus.

6. S. Ildephonſus libro de parturit; loquens de natiuitate B. Virginis, ſiue in vtero, ſiue ex vtero, ex publico cultu Eccleſiaſtico certiſſimam natiuitatis ſanctitatem, ſeu perſonæ tunc ſanctæ deduxit conſtanter. *Si non beata eſſet, & glorioſa nequaquam tam feſtiua celebraretur, vbiq́ ab vniuerſis: ſed quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quod nullis quando nata eſt ſubiacuit delictis, nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum.* Ergo & illos beatos, & glorioſos eſſe conſtat, mundatoſq́; ab omni culpa, & reatu, quos vniuerſa Eccleſia feſtiua ſolemnitate colit. S. Ildephonſ.

S. Bernar. 7. Sanctus Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, quæ eſt 174. illos corripiens, quod ſine authoritate Romanæ Eccleſiæ (vt ſupponebat) celebrarent feſtum Conceptionis Deiparæ, diſertiſſimis verbis docet, Sanctitatem Natiuitatis Deiparæ, & Aſſumptionis veritatem infallibilem omnino eſſe, quia vtraq; feſtiuitas iam tum ab Eccleſia, ideſt ex inſtitutione Eccleſiæ celebrabatur. Verba Sancti Abbatis ſunt hæc. *Accepi ſanè ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſeculo nequam, cœlis quoq; intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.* Et poſt pauca. *Ego verò quod ab Eccleſia accepi ſecurus, & teneo, & trado.* De Natiuitate autem Deiparæ ſic ibidem. *Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, atq; Sanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in vtero eam accepiſſe vt Sancta prodiret*, & paucis interiectis: *Fuit proculdubio Mater Domini ante ſancta, quàm nata, nec fallitur omnino Eccleſia Sanctum reputans ipſum natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuerſæ terræ, votiua celebritate ſuſcipiens.* Notandæ ſunt illæ loquendi formulæ *ſecurus, indubitanter, firmiſſimè, proculdubio, nec fallitur omnino*: quibus abſolutam infallibilitatem, & credibilitati Fidei conuenientem, non potuit ſignificantius exprimere: proinde ad parem certitudinem requiſitam in alijs feſtis de nouo introductis, vel introducendis, monuit illos Canonicos Conſulendam fuiſſe Sedem Apoſtolicam ait enim: *Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis auctoritas*: Et paulo poſt: *Quæ autem dixi abſq; præiudicio ſanè dicta ſunt Sanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati, atq; examini, totum hoc, ſicut, & cætera, quæ eiuſmodi ſunt vniuerſa reſeruo: ipſius, ſi quid aliter ſapio paratus iudicio emendare.*

8. Petrus Cellenſis Abbas, vt pari certitudine poſſet ce- Abbas Cellenſis. lebrari Conceptio Deiparæ, qua celebrabatur Natiuitas eius,

opta-

optauit, vt ab Eccleſia Romana celebrari inciperet; ſecuriſſimus tunc futurus de Conceptionis Sanctitate. Libro itaque 6. Epiſtola 23. ſic ſcribit. *Non erat ab initio Natiuitas Virginis in Eccleſia ſolemnis, ſed creſcente fidelium deuotione addita eſt præclaris Eccleſiæ ſolemnitatibus. Quare igitur non ſimiliter, & diem Cōceptionis obtinet ſedulitas Chriſtiana deuotionis? Sole enim Apoſtolico, & Luna Romana praeunte, tam ſecurè, quàm expeditè in lumine vultus eorum greſſus meos ponerem, & diſponerem.* Si ſecurè, & expeditè, ergo qua infallibilitate certa eſt Sanctitas Deiparæ naſcentis ex feſto Natiuitatis, eâ de ſecuritate infallibilis euaſit Sanctitas Virginis in Conceptione ſui, ex feſto Conceptionis à Sede Apoſtolica inſtituto, & ſanctitas aliorum Sanctorum, ex feſtis ad eorum honorem ab eadem inſtitutis.

9. S. Thomas Aquinas 3.p.q.27.art.1, inde probat Deiparam in vtero Sanctificatam fuiſſe: *Quod Eccleſia celebrat Natiuitatem B. Virginis: non autem celebratur feſtum, niſi pro aliquo Sancto, ergo Beata Virgo in ipſa ſua Natiuitate fuit ſancta: fuit ergo in vtero ſanctificata.* Idem 22.q.93.art.1. ad primum ait: *Dicendum, quòd cùm Deus ſit veritas, illi inuocant Deum, qui in ſpiritu, & veritate eum colunt, vt dicitur Io. 4. Et ideo cultus continens falſitatem, non pertinet propriè ad Dei inuocationem, qua ſaluat.* Id adeo verum cenſuit S. Doctor vt in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. de Officio, quod recitatur in velatione Virginum aſſerat: *In Officio Eccleſiæ non decet eſſe aliquam falſitatem, ſed in toto Officio, quo velantur Virgines fit mentio de carnis integritate, ergo non debet velum virginale corruptis dari, & idcirco velum non eſt dandum viduis cum illa ſolemnitate, qua virginibus datur.* S. Thom. Aquin.

10. S. Bonauentura in 3. diſt. 3. art. 1. q. 1. *Statuta vniuerſalis Eccleſiæ de Sanctorum celebritatibus, omnia fundata ſunt ſupra Sanctitatem, vt nullo die pro aliquo ſolemnizet, in quo perſona ſancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Ex quo S. Bonau.

Turrecremata. videtur tranſcripſiſſe Ioannes de Turrecremata ſuper Decreto in 3.parte diſtin.3. Ad quartum probat.2.cum dicat. *Statuta vniuerſalis Eccleſia de Sanctorum celebritate omnia fundata ſunt ſuper Sanctitate, vt nullo modo, nullo die pro aliquo Sancto ſolemnizet, in quo, vel pro quo perſona Sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Et hæc ipſa S. Bonauenturæ verba totidem repetit, ac tranſcribit. B. Dionyſius Rykel Carthuſ. in 3. diſt. 3. q. 1.

Dyonil. Carthuſ.

Io. Bach. 11. Ioan. Bacho Carmelita, qui in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in Iure Canonico valde doctus, vt ait Trithemius floruit ſub Clemente VI. Concluſit Feſtum Conceptionis Deiparæ ſacta, & catholica religione celebrari, quia in Curia Romana ſciente, & approbante Pontifice Romano celebrabatur, nam in 4. ſent. diſt. 2. q. 4. art. 3. ſic ſcribit. *Publica, & diuturna conſuetudine celebratum eſt hoc feſtum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium, cum ſolemni Miſſa, & ſermone ſingulis annis in domo Fratrum ordinis Beata Mariæ de Carmelo. Et hæc durauerunt tempore multorum Pontificum, vſq; in præſens tempus. Et conſtat, quod tanquam diuturnam, & notoriam ſolemnizationem, ipſis in curia præſentibus, ſeruatam bene notauerunt Domini noſtri Summi Pontifices, & Sedes Apoſtolica, & per conſequens hæc eſt Sancta, & Catholica religio.*

Gloſſa Hugonis. 12. Hugo autem à contrario ſenſu in Gloſſa ſuper cap. 1. de Conſecr. diſt. 3. verbo Natiuitas, ideo negauit Conceptionem celebrandam, quia ſuppoſuit non eſſe ſanctam dicens. *De feſto Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non eſt, ſicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia, & hec eſt ratio, quia in peccatis concepta fuit.*

Bloſius. 13. At Venerabilis Ludouicus Bloſius in cap. 5. de dictis Patrum, conſiderãs orationem, quæ tunc vſurpabatur in Miſſa, & Breuiario ex inſtitutione Sixti IV. pro feſto Conceptionis, & feſtum hoc fieri authoritate Romanæ Eccleſiæ, ſapientiſſime

tiſſimè concluſit. *Certè Romana eademq; Catholica Eccleſia, quæ errare non poteſt, hoc ipſo quod feſtum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum aſſumpſit, ſatis aſtruit, atque affirmat, eandem Conceptionem fuiſſe omnis contagionis expertem, ac ſanctam: profana ſi quidem feſta non nouit Eccleſia: Precatur autem Deum in ipſo incontaminata Conceptionis feſto his verbis. Deus, qui per Immaculatam Virginis Cõceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti; præſta quæſumus, vt ſicut eam ab omni labe præſeruaſti, ita nos quoq; mundos eius interceſſione ad te peruenire concedas.*

14. Gregorius de Valentia diſp. 1. de Fide q. 6. §. 41. *Quoniam Paſtorem ſuum ſemper audire tenetur Eccleſia; & Eccleſiam diuina ſcriptura abſolutè prædicat eſſe columnam, & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3. Ideoq; nunquam errare tota poteſt, dubium eſſe non debet, quin in alijs quoq; rebus omnibus aſſerendis, quæ ad pietatem religionemq; ſpectent, & Eccleſiam totam concernant, infallibilis ſit Pontificis auctoritas* Manifeſtum autem eſt Inſtitutionem Feſtorum ab vniuerſa Eccleſia celebrandorum, ad pietatem, & religionem ſpectare eſſeque vnum ex præcipuis actibus Chriſtianæ Religionis. Greg. de Valentia.

15. Franciſcus Suarez tomo 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. loquens de Feſto Conceptionis à Romana Eccleſia inſtituto, concludit. *Vnde quodammodo videtur Conceptionem Virginis canonizaſſe: non eſt ergo pium credere, Eccleſiam in re tam graui decipi, aut falſo fundamento niti.* Et Tom. 1. de Religione l. 2. c. 8. affirmat Eccleſiam in feſto Conceptionis B. Virginis inſtituendo: *non potuiſſe admittere errorem vniuerſalem.* Suarez.

16. Vaſquez tomo 2. in 3. partem diſput. 114. inter alios, qui ex celebratione feſti Natiuitatis Deiparæ colligunt certam eius Sanctitatem cap. 1. & 2. numerat Alexandrum 3. p. q. 9. membro 2. art. 4. Richardum in 3. diſt. 3. art. 1. q. 2. Durandum in 3. diſt. 3. q. 1. n. 14. Paludanum ibidem q. 1. art. 1. Henricum quodlib. 15. q. 13. littera Q. & R. Cordubam Vaſquez. Alexand. Durand. Richard. Palud. Cordub. Catharinus.

bam lib. 1. q. 44. conſideratione 4. & Catharinum lib. 4. contra Caietanum, qui meritò reprehendit Caietanum tomo 2. Opuſc. tract. 1. c. 1. auſum dicere, pium tantum, & probabile eſſe aſſerere B. Virginem natam fuiſſe ſine peccato. Quod ipſum reprehendit Vaſquez diſp. illa 114. c. 2. dicens. *Verùm enim verò, cum tota Eccleſia abſq; vlla controuerſia ſentiat, B. Virginem natam fuiſſe abſq; peccato, & in ſignũ huius Sanctitatis natalem ipſius diem ante mille annos celebrare cœperit, vt colligitur ex Ildephonſo, qui ab hinc mille annis floruit, & in Concilio Lugdunenſi, vt refertur in Can. 1. de Conſecr. dis 3. huius diei ſolemnitas pro tota Eccleſia ſtatuatur; planè conſequitur non ſolum temeritatis, ſed erroris etiam meritò inſimulandum eſſe, qui B. Virginem in peccato natam eſſe diceret.* Et paulò infra rationem affert. *Quia cùm Eccleſia ab Spiritu S. dirigatur, nec in abſurdum aliquod vniuersè incidere permittatur: Eſſet autem maximè abſurdum, ità omnes ſentire, & hanc, ſolemnitatem in tota Eccleſia celebrare; ſi B. Virgo in peccato nata eſſet, planè conficitur, antequam naſceretur iuſtificatam fuiſſe, ac proinde erroris notam mereri qui oppoſitum aſſerere non vereatur.*

Diſputatione autem 117. cap. 5. ex celebritate Feſti Conceptionis authoritate Sixti IV. confirmata, quia Summi Pontifices nondum vetuerunt ſentire oppoſitum, putat ex hoc feſto, *non tàm certè colligi poſſe Immaculatam Virg. Conceptionẽ, quàm ex celebritate Natiuitatis Sanctitas illius colligitur.*

Lezana. 17. Ioannes Baptiſta Lezana in Apolog. pro Immaculata Conceptione cap. 24. veritatem hanc inſtituti Feſti certitudini adſtruit, & concludit. *Aduerti debet nulla ſecuritate conſcientiæ, ſed cum magno periculo cenſuræ, aut Eccleſiæ offenſionis aſſirmari poſſe, Eccleſiam in Feſtorum celebratione aberrare. Cum autem non errare Eccleſiam in illorum feſtiuitate, dependeat ex eo, quod tale feſtum ſanctum, dignumq; veneratione reputatur, nullo pacto pronunciari poteſt feſtum illud ab Ec-*

cleſiæ celebratum Sanctum non eſſe: Quod pluribus proſequitur Aegidius Luſitanus lib. 3. de Præſeruat. Virginis q. 6. art. 1. §. 10. Aegid.

18. Chriſtophorus Vuega Soc. Ieſu in Theologia Mariana palæſtra 3. certam. 7. num. Marg. 281. affirmat: *Nullum ab Eccleſia feſtum coli, niſi pro re ſancta, ſiue ſit alicuius ſancti natiuitas, ſiue mors, ſiue quippiam aliud, idque pro certo, ac firmiter tenendum eſſe*, & certamine 18. *Cenſeo non ſine ingenti temeritate, & impietate, immò, & errore dici poſſe, Eccleſiam errare poſſe in feſtiuitatibus inſtituendis, cùm ſpectet ad fidem, Dei cultum & totius Eccleſiæ ædificationem, animarumq; profectum, ac Religionis augumentum.* Vuega

19. Ioan. Euſebius Nierembergius Soc. Ieſu in operibus Parthenicis Opuſculo 2. toto hāc veritatem fusè docet, nempè in Feſtis inſtituendis, & vniuerſaliter celebrandis, nec Eccleſiam totam, nec Summum Pontificem errare vllo modo poſſe, ac paſſim eos exagitat, qui dixerant ſufficere in hoc probabilitatem ſanctitatis, quæ colitur, ac ſecuritatem ab errore practico: ex ſola enim probabilitate non poſſe Pontifficem abſolutè aliquid ex cathedra definire: *Nec potuit illo modo vti decernens, quod ſolum probabile eſt, & falſitati obnoxium*, & mox: *Tam pernicioſus eſſet hic decidendi modus, vt confunderet Eccleſiaſticam gubernationem, infallibilitatem Romanæ Sedis, axiomata Sanctorum Patrum, principia Theologiæ antiquæ, & ſatisfactionem fideliū cordium.* Idem Opuſculo 7. in Diſſertationibus Epiſtolicis Epiſtola 20. ad Thaumaſticum ait. *Ingenuè fateor magis me mouere ſolam celebrationem ex Eccleſiæ hortantis inſtitutione, & iuſſu Conceptionis Feſti, vt eam iudicem immaculatam, quàm ſexcenta miracula; Et quidem in miraculorum iudicio ego poſſum falli: Eccleſia autem in ſimili feſtorum inſtitutione nequit errare.* Io. Euſeb

20. P. Paulus à S. Catharina Auguſtinianus Diſcalceatus, in Epinicijs MARIÆ Victricis de Peccato, de Serpente, de Paulus diſcalc.

Mor-

Morte, libro 5.cap.6. præmittit illud Apocalipſis 2. *Qui habet aurem audiendi audiat, quid Spiritus dicat Eccleſÿs*, ideſt quid ſuggerat omnibus Eccleſijs, & non vni tantum reuelet, & concludit. *Velle autem aduerſari ÿs, quæ ſunt ab vniuerſali Eccleſia recepta, non ſolùm eſt temerarium, ſed erroneum. Quare cum feſtum Aſſumptionis ab omnibus Eccleſÿs celebretur, de huius rei veritate nullus eſt dubitandi locus.* Et idem cenſuerunt Melchior Cano libro 12. de locis capite 12. Corduba libro 1. quæſt. 17. Suarez tomo 2. in 3. parte, diſp. 21. ſect. 2. & Vuega in Teologia Mariana Palæſtra 3. certam. 1. videlicet errori proximum, immò erroneum eſſe negare Aſſumptionem Deiparæ in Cęlum quoad corpus, & animam. At ſic Aſſumptam eſſe cenſent de Fide Ambroſius Catharinus lib.4. contra Caietanum, & opere de Concept. Dionyſius Rykel in Euang. de Aſſumpt. Canifius lib. 5. de Deipara cap.5. & Baptiſta Noua us libro de Eminentia Deiparæ cap. 3. q. 4. ita vt ſi non credenda ſit de neceſſitate, ſit tamen credibilis, & fauet S. Thomas opuſc. 8. dicens. *Credimus, quod poſt mortem MARIA reſcuſcitata fuerit, & in Cęlum deportata.* Et Dionyſ. Carth. ſupra addit. *Nec de hoc dubitandum, quia à fidelibus piè creditur.*

Canifius. Nouatus.

Saauedra. 21. Sylueſter de Saauedra in ſua Sacra Deipara diſp. 16. ſect. 12. num. 634. *Veniamus ad auctoritatem Romanæ Eccleſia celebrantis iam regulariter feſtum Conceptionis puriſſimæ: ex illius enim decreto firmum ſemper argumētum deſumptum eſt, nunc verò firmiſſimum, & cuius nullæ inueniri poſſit ſolutio:* Et num. 636. allegat pro hac firmitate lectores ad ſuum Magiſtrum Iacobum Granado diſp. 3. de Concept. capite 7. Idem Saauedra eodem Opere Veſtigatione 2. diſp. 17. ſect. 4. num. 376. *Eccleſia Catholica celebrat feſtum Imm. Conceptionis Beatiſs. Virginis, illudq́; omnibus fidelibus celebrandum proponit, & ad illud celebrandum inuitat, & ſuadet gratÿs, & Indulgentÿs, & tandem præcipit celebrandum, ergo ex*

hoc

hoc capite eſt euidenter credibile. Præcepit enim, quando Pius v. Sixtus v. & Clemens viij. hoc Feſtum Miſſali, ac Breuiario Romano inſeruerũt cum Officio, & Miſſa Communi huic, & Natiuitatis Feſto.

CAPVT III.

Argumenta pro Infallibilitate Abſoluta Sanctitatis Perſonæ, vel rei, in cuius honorem Inſtitutum ſit Feſtum in tota Eccleſia celebrandum ſiue à Summo Pontifice, ſiue ab Eccleſia conſuetudine à Romano Pontifice approbata.

1. PRimum Argumentum, & ab Auctoribus ſecundæ opinionis cap. 1. relatæ adhiberi ſolitum, ſi ad formam legitimi ſyllogiſmi redigatur, efficaciſſimum eſt ad oſtendendam certitudinem Concluſionis Theologicæ, & abſolutam infallibilitatem, de qua in titulo capitis. Formo autem illud ſic: *Quidquid ſpectans ad Fidem, Religionemque Chriſtianam, determinatur à Vicario Chriſti, ſeu Petri ſucceſſore Romano Pontifice, vt tali, ideſt ex Cathedra Sedis Apoſtolicæ pronunciante, aut conſuetudine totius Eccleſiæ Catholicæ introductum approbatur; illud eſt infallibiliter verum, & tale coràm Deo, atq; adeo non tantùm moraliter certum, ſed immune ab errore ſpeculatiuè conſiderato.* Maior Atqui *Vicarius CHRISTI &c. determinando aliquod Feſtum à tota Eccleſia celebrandum, ad honorem alicuius perſonæ ſanctæ, vel rei ad illam pertinentis, aut approbando tale Feſtum conſuetudine totius Eccleſiæ iam introductum; determinat perſonam talem, vel rem ad eam pertinentem eſſe ſanctam, & id pertinet ad Fidem Religionemq; Chriſtianam;* Minor *Ergo ſanctitas talis perſonæ, vel rei eſt infallibiliter vera, & talis coràm Deo; nec moraliter tantummodo certa, ſeu immunis ab errore tantum practico; ſed abſolutè certa, & immunis ab errore ſpeculatiuè conſiderato.* Hoc verò Argumětum applicabile eſt in particulari, cuicun-

que tali Feſto in gratiam talis perſonæ, aut rei; de cuius prædicta inſtitutione conſtet per euidentiam facti, eo modo, quo conſtat de alijs publicè factis, & manifeſtis notorietate facti irrefragabili; ſic enim Concluſio Theologica erit deducta ex Maiori de Fide, & ex Minori naturaliter manifeſta.

2. Maior autem dicti Argumenti, probatur ex promiſſionibus CHRISTI factis Petro, & ex Communi ſententia Catholicorum, ſucceſſoribus Petri, & toti Eccleſiæ, cum ſuo capite vnitæ, quas lib. 1. cap. 3. iam produximus. Quamuis enim Saluator dixerit: *Vt non deficiat Fides tua*, nomine tamen Fidei non intelliguntur tantummodo primarij Articuli Fidei de neceſſitate ſalutis credendi ab adultis, quales ſunt Articuli in Symbolo Fidei, aut quæ expreſsè continentur in Sacra Scriptura, ſed omnes aliæ veritates Fidem concernentes, & ad Religionem Chriſtianam, æternamq; ſalutem pertinentes. Nam de his quoq; intelliguntur à Patribus, & Doctoribus, in tractatibus de Pontifice, & Eccleſia verba illa; *Docebit vos omnem veritatem, & ſuggeret vobis omnia*. Et illud vniuerſale dictum: *Quodcunq; ſolueris*; & illud: *paſce oues meas* pabulo ſcilicet cuiuſuis doctrinæ ad vitam æternam ducentis; Alioquin ſi aſſiſtentiam Spiritus Sancti, atq; adeo infallibilitatem veritatis, non extendiſſet, ad omnia concernentia Fidem, ac Religionem Chriſtianam, & directionem fidelium ad vitam æternam; non eſſet vniuerſaliter verum dictum Apoſtoli 1. Timoth. 3. *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*. In dubio enim de Religione, & cultu vero Dei veri, vacillare poſſet, & ambigere, an adoraret *Patrem in Spiritu, & veritate*. Neque Chriſtus ſufficienter ex dignitate, & prouidentia ſua proſpexiſſet Eccleſiæ ſuæ, ſi ei promiſiſſet infallibilitatem ſolùm in dogmatibus præcipuis ſpeculatiuè credendis, niſi eandem pollicitus eſſet, & reipſa præſtaret in connexis, vel connectendis cum

fide dogmatica (quæ ſine operibus non ſufficit ad ſalutem) atq; adeo in decretis præceptiſq; ad Religioſum cultum, moreſq; ac viuendi normam ſpectantibus. Hinc eſt, vt ex communi iam ſententia Catholicorum Doctorum Summus Pontifex, vt talis, & non tanquam priuatus doctor, ſed vt CHRISTI Vicarius, & loquens ex Cathedra Petri, Sedeq; Apoſtolica nullo modo errare poſſit, ſiue definiat articulos fidei theoricè credendos, eorumuè dubia decidat; ſiue determinet res pertinentes ad vniuerſalem Eccleſiæ in cultu Diuino inſtructionem, ſiue præcepta ad mores pertinentia ſanciat, ſiue definiat aliquid honeſtum, ac licitum eſſe, vel è contrario inhoneſtum, & illicitum, ſiue approbando Religioſorum Ordinum inſtitutiones, ac Regulas. Neque Opus eſt hoc loco prolixum catalogum attexere illorum Doctorum, qui in tractatibus de Romano Pontifice, ita de illius infallibilitate; in eiuſmodi materijs ſentiunt cum obuij ſint, iamq; hoc tempore ſit fermè citra controuerſiam penes Catholicos.

3. Minor autem propoſitio duas partes præcipuas includit, prior eſt inſtitutionem Feſtorum ad honorem perſonæ ſanctæ, aut rei ad illam ſpectantis pertinere ad Fidem Religionemq; Chriſtianam, ſed hoc euidens eſt ex notione ipſius Chriſtianæ Religionis, & definitione virtutis Religionis, actuumq; ad illam pertinentium; ſi quidem vnus ex præcipuis actibus Religionis quo Chriſtiani Deum in ſe, aut in Sanctis eius collunt, & venerantur, eſt celebratio Feſtorum cum Officio Miſſa, erectione Templorum, & Altarium precibus, & inuocationibus hymnis, & concentibus ſacris, alijſq; ſimilibus demonſtrationibus publicè ad honorem illorum editis; Sicut euidens eſt intellectui ſano talium Feſtorum celebrationem pertinere ad confirmandos Chriſti fideles in fide illa, & doctrina cuius profeſſores Sanctos euaſiſſe certò cognouerint, & vt tales non ſolum in cœlo, & Eccleſia triumphante, ſed etiam in terra, & Eccleſia militāte publico cultu,

& veneratione honoratos iuxta illud Pſalmi 138. *Nimis honorati amici tui Deus*. Denique euidens eſt idipſum pertinere ad incitandos fideles ad imitationem Sanctorum, & ad eorum opem cum certa fiducia inuocandam, præcipuè pro conſequenda felicitate æterna; & ad ſtabiliendum dogma de illorum veneratione; atque inuocatione, Sanctorumque communione; adeo vt imbecillioris iudicij videatur qui ambigeret an id ad Fidem, Religionemque Chriſtianam pertineat.

4. Poſterior pars *Minoris* in eo conſiſtit, quod Summus Pontifex vt talis determinando, aut approbando prædicta Feſta, determinet etiam tales perſonas, vel earum res, ſeu actiones fuiſſe, & eſſe Sanctas. Ad id autem ſufficit, ſi hoc determinet implicitè: Nam ſi explicitè, ac expreſsè determinaret talem perſonam *eſſe Sanctam*, vt factum eſſe narrauimus lib. 1. cap. 2. in Canonizationibus num. 30. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 43. 44. 45. 46. 47. & 48. Iam hoc eſſet de fide, vt probauimus eodem libro 1. c. 3. & 4. ſed ad certitudinem Concluſionis Theologicæ ſufficit definitio implicita, & quæ neceſſario deducatur ex determinatione Summi Pontificis. At hoc ipſo, quod Summus Pontifex mandat, aut approbat feſtum celebrari ad honorem alicuius perſonæ tanquam Sanctæ, ſeu cultu illo, qui ſolis Sanctis debetur, & in Officio, ac Miſſa illis deputata vult, vt appelletur Sancta, & vt talis colatur, & inuocetur: vtique implicitè, ſed neceſſaria illatione determinat illam eſſe Sanctam; & vult pro tali teneri à fidelibus & ſicut ipſe ſupponit, ita ab Eccleſia ſupponi vult eam eſſe in gloria Sanctis debita, & in tali ſtatu, vt non ſit orandum pro ea, ſed ipſa potiùs inuocanda, vt oret pro nobis. Relege enim quæ diximus cap. 2. nu. 2. pro veritate Orationum Miſſalis Romani.

5. *Secundum* argumentum eſt tale. Summus Pontifex inſtituendo, vel approbando Feſtum ab vniuerſa Eccleſia

cele-

celebrandum ad honorem alicuius ſancti, ita illum proponit Eccleſiæ pro Sancto, vt abſq; vlla limitatione, aut indicio reſeruationis loquendo, adeo firmiter habeatur pro ſancto, vt nefas reputetur, nedum imprudenter factum orare pro illo, & ſecuriſſimè inuocari poſſit, vt pro nobis oret. At qui ſi non eſſet id firmiter tenendum, ſolumq; certitudine morali prudenter æſtimabile, non deberet ita procedere, ſed hypotheticè loqui, & non impedire tali modo loquendi, orationes ſub conditione pro tali perſona ad Deum fundendas, ſi fortè anima illius adhuc in Purgatorio detenta, ſuffragijs noſtris indigeret.

6. *Tertiò* Inſtitutio feſti à Sede Apoſtolica mandati, aut approbati, & ſolemniter celebrandi in Eccleſia vniuerſa, aut æquiualet canonizationi Sanctorum, aut eſt effectus ex canonizatione ſequi ſolitus; aliquando enim non aliter canonizatur aliquis, quam inſtituendo Feſtum publicum ad eius honorem, vt factum eſt in Canonizatione S. Petri Anagnini; in plurimis autem canonizationibus cap. 2 relatis poſt canonizationem ſubiungitur præceptum de feſto ſolemniter celebrando. Ergo ſicut in Canonizatione Sanctorum, ita in Inſtitutione talium Feſtorum Papa nullo modo errare poteſt propter argumenta lib. 1. c. 3. &. 4. allata

7. *Quartò* Illi, quos Epiſcopi in ſuis Dioeceſibus poſt maturū examen proponebant populo colēdos tanquam Sanctos, habebantur pro Sanctis certitudine morali; ſed quia hoc non ſufficiebat, & Epiſcopis alijs non fuit promiſſa infallibilitas, ſed Succeſſoribus Petri tantùm, ideo non ſolum Canonizationem, ſed & Inſtitutionem Feſtorum vniuerſaliū reſeruauit ſibi Sedes Apoſtolica, vt colligitur ex cap. 1. *de Conſecrat.* diſt. 1. iuncto cum cap. de Reliquijs, & venerat. Sanctorum Et cap. 2. eiuſdem tituli, vbi Alexander iij. & Innocentius hoc ſibi reſeruarunt.

8. Raynaudus Tomo 15. in Heteroclitis ſect. 3. puncto

8. nu.

8. n. 42. loquens de *Memento* Mortuorum in Miſſa ait: *Non enim ea oratio pro Defunctis, quam de fide eſt vacare errore, vt & reliquum Miſſæ canonem ad alios pertinere poteſt, quàm ad eos, qui ſunt in Purgatorio.* Iam ſi totus Miſſæ Canon vacat errore non aliunde, quàm quia à Sede Apoſtolica conditus eſt, & approbatus, atq; ab vniuerſæ Eccleſiæ Sacerdotibus antiqua conſuetidine vſurpatus. Ergo, & errore omni vacant orationes, & inuocationes Sanctorum, quæ in diebus eorum feſtiuis ex ordinatione Sedis Apoſtolicæ, & vſu vniuerſali Eccleſiæ vſurpantur, nec in hoc debuit Raynaudus limitare hanc infallibilitatem ad immunitatem ab errrore practico.

9. In dubio ſemper cæteris paribus præſumendum eſt pro authoritate Principis, Superioris, ac Legislatoris, ergo cum poſſimus magno cum fundamēto aſſerere, datam eſſe à Chriſto ſuo Vicario infallibilem authoritatem inſtituendi Feſta celebranda ab omnibus Chriſtianis, abſq; vllius erroris periculo, idque conuenientius ſit, & dignitati Sedis Apoſtolicæ & excellentiori, atq; ampliori prouidentiæ Chriſti erga ſuam Eccleſiam, & maiori ſecuritati Fidelium in omittendis ſufragijs pro Sanctis, & eos potius inuocandi, ac venerandi cultu ſanctis debito, & denique obſtruendo hæreticis ori, qui authoritati Pontificis Romani, & infallibilitati Decretorum eius, arrepta vndecumq; anſa detrahunt; Præſumendum eſt pro eodem Romano Pontifice, eiuſq; authoritate, & infallibilitate abſoluta, nec niſi euidentibus, aut probabiliſſimis argumentis (cuiuſmodi adhuc legere, aut excogitare nulla potui) limitanda.

CA-

CAPVT IV.

Obiectionum Breuis Solutio.

10\. QVod enim aliqui inculcant Papam in omnibus quæſtionibus facti errare poſſe, id falſum eſt, vt lib. 3. ſolidiſſimè oſtendetur: præter dicta de Canonizatione Sanctorum. Quod item dictitant de ſufficientia immunitatis ab errore practico; negatur à nobis, & à plurimis alijs, nec adhuc in hac materia ſolidè probatum eſt, ſed aſſumptum penè gratis. Quod inculcatur de Hoſtia conſecrata, non eſt ad rem, quia de illa nõ eſt determinatio Sedis Apoſtolicæ in ſingulari, ſeu in indiuiduo; ſicut extant determinationes de multis Sanctis in indiuiduo colendis, tanquam Sanctis. Quod addunt de Sanctis in Martyrologio Romano ſcriptis, cum approbatione Romani Pontificis, diſparem habet rationem, per id enim non eſt inſtitutum Feſtum celebrãdum ab omnibus, nec omnes ſcripti ſunt in Kalendario Miſſalis, aut Breuiarij Romani, aut per litteras Apoſtolicas mãdatum, vt Feſtum eorum celebretur, nec per ſolam adſcriptionem in Martyrologio, licet ſit quædam ſpecies Canonizationis latè dictæ, determinatum eſt à Sede Apoſtolica, vt publicè colantur pro Sanctis. Eſto aliqui putent id ſufficere, vt eorum Sanctitas certa ſit certitudine concluſionis Theologicæ. Quod autem dicunt non eſſe hæreticum, qui dixerit Papam Metaphyſicè errare poſſe in Feſtis inſtituendis, vltrò concedimus, quandiu non acceſſerit expreſſa definitio de Sanctitate; ſed hinc nõ ſequitur non eſſe illam infallibilem, & certam certitudine Concluſionis Theologicæ, quæ abſoluta eſt, & moralem certitudinem ſuperexcedens. Ad calumnias autem Hæreticorum contra quædam Feſta Sanctorum, non eſt hic locus reſpondendi, vbi ſolùm diſputamus contra paucos Catho-

tholicos, illas tamen videre eſt refutatas à Bellarmino in Cõtrouerſia de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 16. & Raynaudo in Tom. 15. in Heteroclitis ſect. 3. punct. 1.

11. Sed poſſet quis inſurgere: Si præſeruatio Deiparæ à peccato Originali eſt certa certitudine Concluſionis Theologicæ, ſequitur nemini Catholicorum licere illi intra mentem ſuam diſſentire, ſeu neceſſarium eſſe illi aſſentiri etiam interiore aſſenſu, neceſſitate quoad ſpeciem actus, ſi non neceſſitate quoad exercitium actus: Certitudo enim Concluſionis Theologicæ, cùm excedat probabilitatem, imò certitudinem merè moralem, & prudentialem, excludit oppoſitũ tali Concluſioni. At hæc ſequela eſt contra expreſſam declarationem non ſolum Pij v. Pauli v. Gregorij xv. ſed etiam Alexandri vij. qui in ſuis de hoc puncto Conſtitutionibus, dixerunt non eſſe ſuæ intētionis definire hanc controuerſiam, imò ſub grauiſſimis pęnis vetuerunt, nequis opinionem contrariam dictæ Præſeruationi hæreticam, aut mortaliter peccaminoſam dicat, hinc enim ſequitur licere vnicuicunq; intra ſuam mentem opinari vtrumlibet.

Reſpondeo negando ſequelam Maioris propoſitionis (Quamuis ea data, ſed non abſolutè, & indiſtinctè conceſſa, negaturus mox ſim Minorem) Ratio negandi Maiorem eſt, quia non omnes Catholici ſunt Theologi, aut capaces diſcurſus Theologici; inter Theologos autē ſunt diuerſæ ſententiæ in Eccleſia toleratæ: Quidam enim dicunt propoſitionem, quæ legitimo diſcurſu deducitur ex duabus de Fide, vel ab vna de Fide, & ab altera certa, & euidenti naturaliter, aut euidentia facti, non obſtante tali connexione, non eſſe reuelatam à Deo, & motiuum illi aſſentiendi eſſe merum lumem naturale, quo vi diſcurſus infertur talis concluſio. Quidam verò dicunt, talem eſſe implicitè à Deo reuelatam, ſed non eſſe de Fide, quia non eſt explicitè reuelata, nec expreſsè definita, & quia non nititur ſoli authoritati Pri-

mæ veritatis obſcure reuelantis, ſed partialiter lumini naturali intellectus connectentis extrema concluſionis cum medio termino. Quidam denique dicunt talem propoſitionem ità implicitè à Deo reuelatam eſſe, vt ſit de fide, vel neceſſitet ad non diſſentiendum, eos qui penetrant vim talis diſcurſus, hunc enim eſſe vnum de modis, quibus Deus reuelat aliquid aliquibus; ſed qui ſunt in hac tertia opinione non propterea dicunt reuelatum id eſſe omnibus Catholicis, aut eſſe de fide in Eccleſia Dei, aut hæreticos eſſe, vel peccare mortaliter ſecus ſentiẽtes. Sciunt enim primam, & ſecundam opinionem eſſe toleratas in Eccleſia; Sicut in multis alijs propoſitionibus euenit, de quibus paſſim diſputatur, an ſint de Fide nec ne? Patet ergo quàm falſa ſit ſequela Maioris, & quam inconſultè, id quod aliquos Theologos adſtringit, extenderetur ad omnes Catholicos homines.

12. Reſpondeo ſecundò, data (ſed non conceſſa ob rationem iam adductam) Maioris ſequela, nego ſequelam Minoris, quia ex dictis duobus Decretis Summorum Põtificum ſequitur tantummodo Præſeruationem Deiparæ à peccato originali non eſſe de Fide vi definitionis Pontificiæ eam expreſsè decidentis, & præterea non ita eſſe certam, vt opinio minus pia, ſeu oppoſita Præſeruationi, poſſit dici hęretica, aut mortaliter peccaminoſa; aliæ enim cenſurę minores non ſunt prohibitæ, & in odioſis ac pęnalibus, ac ſtricti viris, ſtricta eſt facienda interpretatio, & quam minimum includendum, vt norunt Canoniſtæ iuxta Regulas Iuris. At hinc non ſequitur, eos qui vi diſcurſus Theologici ex declaratione facta per Alexandrum VII. de intentione Eccleſiæ, & S. Romanæ Sedis in celebrando, immò inſtituendo Feſto Conceptionis Deiparæ cum proprio Officio, & Miſſa, inferunt dictam præſeruationem eſſe certam certitudine Theologica, docere aliquid quod ſit contra dicta decreta. Dummodo contineant ſe intra terminos certitudinis Theologicæ, nec velint alios,

qui non tenet tertiam opinionem nu. 11. explicatam adſtringere ad id, ad quod ipſi ex hypotheſi ſuæ opinionis adſtricti ſunt, nec aſſerant id eſſe de Fide in tota Eccleſia Catholica, aut eſſe iam definitum abſolutè, aut ſecùs opinantes eſſe hæreticos, vel peccare mortaliter. Cæterùm tantùm abeſt, vt doctrina hæc de certitudine non Fidei, ſed Concluſionis Theologicæ, ſit contra conſtitutionem Alexandri VII. vt potius ſit illi conſona, & conformis; ſiquidem ex ea ipſa conſtitutione deducitur, & oppoſitum aſſerentibus incumbit probatio falſæ deductionis. Neque vero Summi Pontifices volunt non ſequi quod reuera ſequitur ex eorum declarationibus, & ex alijs principijs Theologicis, ſicut nolunt impedire quin priuata aliqua perſona de Eccleſia ſit obligata ad non diſſentiendum propoſitioni alicui à Deo peculiariter reuelatæ tali perſonæ, quæ certa ſit de vera reuelatione; eſto prohiberent, ne alij quibus id reuelatum nondum eſſet, damnarentur, & oppoſitum opinantes hæreſi, aut peccato notarentur.

LIBER TERTIVS.

De Abſoluta Infallibilitate Definitionum S. Sedis Apoſtolicæ in Deciſione dogmatum, Quæ in Verbo Dei Scripto, Traditoue ſiue explicitè, ſiue implicitè continentur.

CAPVT I.

Explicatur ſtatus Controuerſiæ, & Opinio quorundam Catholicorum Scriptorum.

1. PRima ſententia Catholicorum omnium eſt, infallibiles abſolutè eſſe Sedis Apoſtolicæ definitiones illorum dogmatum, quæ in ſacra Scriptura, vel Traditione Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica expreſsè, ſeu explicitè continentur; aut ex ſic contentis, neceſſaria, & euidenti conſequentia deducuntur. Quandoquidem inter Catholicos Doctores conuenit, non ſolum verbum Dei Scriptum, ſed Traditum quoque, Theologicæ Fidei Regulam eſse certiſſimam, nulliq; errori ſpeculatiuo, nedum practico obnoxiam. Non eſt autem intentionis nunc noſtræ, Sectariorum os impuriſſimum æquè ac imperitiſſimum obſtruere, qui nihil præter purum Dei verbum Scriptum recipientes, ſacris Traditionibus oblatrarunt. Quid enim inſipientius, quid inuerecundius pronunciato illo Caluini lib.4. Inſtitutionum C.& §.8. *Eſto hoc firmum axioma, non aliud habendum Dei verbum eſſe, cui detur in Eccleſia locus, quàm quod Lege primùm, & Prophetis; deinde Scriptis Apoſtolicis continetur.* Quaſi verò ex Traditione ipſa Eccle-

ſiaſtica conſtare non oporteat, qui nam ſint libri Canonici. Sacræ Scripturæ nomenclatura, & authoritate digni: nec ore rotundo Auguſtinus lib. contra Epiſtolam Fundamenti Manichæor. cap. 5. proteſtatus fuerit: *Ego vero Euangelio non credere m, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas.* Et in Sermone 291. de Tempore: *Nouum, & Vetus Teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit authoritas.* Et Dionyſius Areopagita cap. 1. Eccl. Hierarchiæ de veritatibus per Apoſtolos propagatis non aſſeruerit: *Partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis iuxtà quod Sacræ definiunt leges nobis tradiderunt.* Nimius eſſem ſi Tertullianum, qui lib. de Præſcriptionibus multus in hoc argumento eſt, huc tranſcriberem: ſufficit ex cap. 23. delibaſſe illud: *Scripturas obtendunt &c. Si hæ ſunt vires eorum, diſpici debet cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne his admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Et cap. 19. *Ergo non ad Scripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus, aut nulla, aut incerta victoria eſt &c. Ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quibus competat fides ipſa: cuius ſint Scripturæ, à quo, & per quos, & quãdo, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit veritatem eſſe diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ; illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum.* Vbi porrò hæc ſint, enumeratis Eccleſijs Apoſtolicis, de Romana ſic loquitur: *Habes Romam, vnde nobis quoq; authoritas præſto eſt, ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtolicã cum ſanguine ſuo profuderunt.* Verùm pro Traditionũ æquali infallibilitate ac Scripturarum, ſcripſere olim, & plurimi Patrum, & poſtea Theologi in hac contra Hæreticos controuerſia, quos hic neceſſe non habeo recenſere: pergendum enim eſt ad alias Catholicorum opiniones.

Se-

Secunda Opinio.

2. SEcunda Opinio eſt pauciſſimorum Catholicorum, exiſtimantium, non poſſe à Summo Pontifice Romano definiri ex Cathedra Apoſtolica infallibiliter dogma vllum de Fide, quod non contineatur formaliter, & expreſsè in Verbo Dei ſcripto, aut Tradito, vel ex formaliter, & expreſsè in verbo Dei contentis per neceſſariam, & euidentem illationem non deducatur. Hanc opinionem inſinuauit Ioannes de Turrecremmata, recuſus iuſſu Bartholomæi Spinæ part. 6. cap. 14. vbi loquens de doctrina aſſerente præſeruationem Deiparæ à peccato originali: ait: *Sed hæc eſt rei veritas, quòd doctrina ex aduerſo nulla teſtimonia ſufficientia habet ſcripturæ, aut ſanctorum, nec in generali, nec in ſpeciali, quæ formaliter, aut argumentatiuè neceſſaria illatione ſibi faueant.* Nec multo aliter Grauina 2. p. Cathol. præſcript. Tomo 4. q. 2. Fauet huic opinion Vincentius Baronius p. 4. manuductionis ad Analyticam Theologiam lib. 1. ſec. 1. Paragrapho 4. illis verbis, quibus dubitat non poſſe ab Eccleſia definiri: *Niſi ex Cathedra decretum prodeat, iuxta perpetuum Conciliorum, & Summorum Pontificum morem ex Scriptura, & Traditione repetatur, quaſi expreſsè contentum, aut neceſſaria conſecutione deductum.* Et lib. 2. ſect. 2. §. 2. *Scimus quæ ſit penes Summos Pontifices, & Concilia Oecumenica definiendi poteſtas; nec credimus pertinere, & porrigi ad Philoſophica, aut etiam ad Theologica ex reuelatis principijs probabiliter deducta, vt ea quaſi fide certa facere poſſint.* Sed quoad hoc rectè loquitur ſi Pontifex, aut Concilium probabiliter tantum deduci inde putent, quando aliquid definiunt, ſecùs verò ſi neceſſariò; etiam ſi aliqui alij Catholici neceſſitatem illam non agnoſcant. Sed neque Turrecrematæ fauet reuera Theophilus Raynaudus Tomo 10. ſuorum

Ope-

Operum in Corona Aurea Romani Pontificis Veritate 8. Non enim requirit vt expreſsè contineantur in verbo Dei, aut ex contentis expreſsè deducenda ſint,ſed inquit. *Quæ verò nè implicitè quidem, aut virtualiter ſunt reuelata, ita vt poſſint certò, & euidenter erui ex propoſitionibus immediatè reuelatis, non poſſunt de nouo ab Eccleſia reponi inter dogmata fidei.* Et Tomo 15. in Heteroclitis ſect. 3. ſub titulo *proba certa ſanctitatis*, loquens de certitudine Fidei Chriſtianæ ſubiungit. *Cuius certitudo non poteſt cadere niſi in propoſitionem, aut in verbo Dei ſcripto, aut in verbo tradito contentam vel certe inde deductam per certam, & euidentem conſecutionem.* Si tamen velit ita eſſe euidentem, vt cõtrouerti nequeat inter Catholicos, & illis dubitantibus, non poſſit Summus Pontifex ex Spiritu Sãcti aſſiſtentia cognſocere neceſſitatem tal s conſecutionis, & ſic definire dogma de Fide, fauet vtique Opinioni, quàm falſam eſſe infra oſtendemus.

Tertia Opinio ſeu ſententia.

3. T*Ertia Opinio* plurium Catholicorum de Romano Pontifice, ac Iudice cõtrouerſiarum Fidei differentium eſt; poſſe Summ. Pont. Romanum infallibiliter definire de fide credenda dogmata illa, quę continentur in verbo Dei tradito, vel ſcripto, ſiue in alterutro contineantur expreſsè, & formal ter, ſiue implicitè tantummodo, aut ex ſic contentis deduci poſint per certam, & neceſſariam conſecutionem. Idque licèt aliquibus etiam doctis viris, & Catholicis non videatur inde neceſſario deduci, ideoque in controuerſiam vocetur. Pro huiuſmodi enim dubijs tollendis, & controuerſijs inter Catholicos quoq; orituris, Chriſtus Dominus promiſit Petro, & Succeſſoribus eius aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vi cuius poſſit diſcernere, & ſtatuere, an, & quomodo talis, vel talis propoſitio contineatur in Sacra ſcriptura, vel in

Apo-

Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica Traditione, & cum ſuggerente Spiritu Sancto cognouerit aliquam veritatem in illis indubitanter contineri, poſſit validè definire illam, & obligare Eccleſiam ad eandem de Fide tenendam, etiam ſi anteà non ità euidenter aliquibus Doctis quoque, imò & Sanctis viris videretur contineri in reuelatis à Deo. Hanc non tàm Opinionem, quàm Sententiam veriſſimam putamus. Et ne ſecunda opinio, quæ huic detrahere non nihil videtur, vlterius ſerpat, illam infirmare, & tertiam confirmare Autoritatibus, & Rationum momentis Deo, ac Deipara opitulantibus conabimur.

CAPVT II.

Selectæ Authoritates pro Tertia ſententia numero 3. expoſita.

1. Sanctus Irenæus Epiſt. ad Florinum, quam recitat Euſebius l. 5. Hiſt. Eccl. c. 19. *Non oportet adhuc quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium ditiſſimum in eam pleniſſimè contulerint, quæ ſunt veritatis, vt omnis quicunque voluerit, ſumat ex ea potum vitæ.* Si ditiſſimum, & pleniſſimè, ergo etiam quæ apud aliquos Catholicos dubia videri poſſunt, an ad fidem pertineant, & vitam æternam, poſſunt à Sede Apoſtolica cum abſoluta veritate definiri.

Tertullianum iam circa meduim numeri 2. produximus.

2. S. Marcellus Papa, & Martyr in Epiſtola ad Epiſcopos Prouinciæ Antiochenæ loquens de Sede Petri Romæ conſtituta inquit: *Ad quam cuncta maiora negotia Eccleſiaſtica, diuina diſponente gratia iuſſa ſunt referri, vt ab ea canonicè diſponantur.* Et paulò poſt. *Cuncta dubia Apoſtolicæ Sedis Authoritate peragenda ſunt, & finienda.* Ergo Apoſtolicæ definitioni obſtare non poſſunt dubia, quæ ab aliquibus Catholicis excitari poſſunt, aut eorum altercationes de modo, quo aliqua propoſitio contineatur in verbo Dei.

3. Sanctus Damaſus Papa Epiſt. 4. ad Epiſcopos Numidiæ: *Cuncta quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad caput, vt ſemper fuit conſuetudo, deferre non deſinatis.* Quis ergo limitare audeat Sedis Apoſtol. authoritatem ad ea, quæ à nemine in dubium reuocari poſſunt, ſed expreſſa ſunt in alterutro Dei verbo, aut ab expreſſis euidenter inferuntur?

4. S. Gregorius Papa lib. 4. Epiſt. 52. ad Epiſc. Galliæ. *Si quam verò contẽtionem, (quod longè faciat diuina potentia) de fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium fortaſſe emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine, iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat examinata diligenter veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeant perducere notitiam. Quatenus à nobis valeat, congrua ſine dubio ſententia terminari.* Ergo aliqua poſſunt ita implicitè inuolui in Dei verbo ſcripto traditoue, vt ipſi Epiſcopi Catholici vehementer dubitare poſſint de illis, & tamen Sedes Apoſtolica has quoq; fidei cauſas poſſit ſine dubio decidere.

5. Innocentius iij. Epiſt. ad Epiſc. Arelatenſem relata in cap. *Maiores* extra de baptiſmo ſic decernit. *Maiores Eccleſiæ cauſas preſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum ex oraſſe, ne deficiat fides eius.* Inter prædictas autem cauſas recenſet grauiſſimas illas, quatuor quæſtiones de Baptiſmo, quas idem Pontifex ibi determinat, & de quibus nos infra cap. 4.

6. S. Cyrillus Allexandrinus in Theſauro, & apud D. Thomam opuſc. contra Græcos de poteſtate, quam Chriſtus Petro, & Succeſſoribus contulit ita loquitur: *Sic, & Petro, & eius Succeſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Si ſuum plenũ, & pleniſſimè; quis eſt, qui abſque idoneo fundamento audeat hanc plenitudinem coarctare ad expreſſa, aut euidenter ab expreſsè cõtentis in Dei verbo deducta? Et ſanè hanc plenitu-

nitudinem nō rapina vſurpatam, ſed à Chriſto collatā agnoſcunt, & profitentur Summi Pontifices in literis Apoſtolicis per illam formulam: *de plenitudine poteſtatis*. Idem porrò Cyrillus in cap. 14. Ioannis ſatis indicat infallibilitatem, pro qua hic ſatagimus dicens; *Eccleſia Apoſtolica nedum ab omni hæretica circumuenctione, verùm etiam à quacunque ſeductione in ſuis definitionibus Immaculata omninò exiſtit.*

7. S. Auguſtinus ſeu quicunque eſt grauiſſimus author quæſtionum veteris, & noui teſtamenti Tomo 4. Operum S. Auguſt. q. 75. inquit: *Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita, & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur*. Quicunque igitur voluerit reſtringere authoritatem Petri, & Succeſſorum ad eas fidei cauſas, quæ expreſsè, & euidenter continentur in verbo Dei, reſtringat prius oportet authoritatem Chriſti: quod nemo ſanæ mentis attentauerit.

8. S. Bernardus haud dubium quod de quibuslibet dubijs in cauſa fidei, & religionis diceret, quod de quibuslibet ouibus Romano Pontifici ſubiectis dixit lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium cap. 8. *Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil*. Et infra: *Tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es, aliorum poteſtas certis arctatur limitibus.* Nam à fortiori valent de Summo Sacerdote, quod de Prælatis vicem Dei gerentibus vniuerſim dixit in tractatu de Præcepto, & Diſpenſatione: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Malach. 2. Requirent, dixerim, legem non quam vel authentica vlla Scriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probauerit: de huiuſmodi quippe, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt, ſed quod ita latere aut obſcurum eſſe cognoſcitur, vt in dubium venire poſſit, vtrumnam Deus ſic, aut aliter fortè velit; Si non de labijs cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur: à quo deniq; diuina potiùs conſilia requiruntur, quam ab illo, cui credita eſt diſpenſatio My-*

R *ſte-*

ſteriorum Dei? Ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ apertè non ſunt contra Deum audire debemus. Igitur obſcuritas Scripturæ, aut Traditionis, in qua lateat aliqua veritas, & de qua in Eccleſia dubitari poſſit, non poteſt obſtare Summo Sacerdoti Chriſtiq; Vicario, quin poſſit definire quid Deus reuelauerit tenendum faciẽdumuè. Eſt enim ille Sacerdos, quem idem S. Bernard. lib. 2. de Conſid. ſic alloquitur: *Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex: Tu Princeps Epiſcoporum. Tu hæres Apoſtolorum. Tu primatu Abel; gubernatu Noe; Patriarchatu Abraham; ordine Melchiſedech; dignitate Aaron; authoritate Moyſes; iudicatu Samuel, poteſtate Petrus; vnctione Chriſtus, &c.*

9. Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas opuſc. 1. contra errores Græcorum capite 32. citans decretum Concilij Chalcedonenſis ait: *Soli Pontifici Romano libera poteſtate loco Dei ius diſcernendi competit: ideo cuncta ab eo definita obſeruanda ſunt, eo quia veniunt à Vicario Apoſtolici throni.* Si libera eſt hæc poteſtas, & ad cuncta definienda porrigitur, quæ in verbo Dei continentur, quis eam reſtringere præſumat ad expreſſe, & omnino euidenter in verbo Dei comprehenſa? Idem 2. 2. q. 1. art. 10. agnouit in Chriſti Vicario vniuerſalem authoritatem definiendi quantumuis difficiles controuerſias de Fide, dum dixit: *Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, vt dicitur in Decret. diſt. 43.* Et concludit, *vnitatem fidei ſeruari non poſſe, niſi quæſtio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur, & ideo ad ſolam authoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, ſicut, & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam.* Huic ſubſcribit Caietanus ibidem, & in Opuſculis tract. 1. qui eſt de authoritate Papæ cap. 11. Ergo omnia alia etiam dubia, ad quæ poteſt fieri noua extenſio Symboli, determinãda ſunt per Sum. Pontificem.

10. S. Antoninus 3. p. Summæ tit. 12. cap. 8. §. 2. *Quædam ſunt quæ facit Papa pertinentia ad ſtatum vniuerſalem totius Eccleſiæ, vel quantum ad fidem, vt ſunt determinationes, & declarationes, quæ ſpectant ad fidem, & articulos, & Sacramenta Eccleſiæ, & alia omnia in ſacra Scriptura contenta, &c.* Et de his addit. *Suppoſita diuina prouidentia, & Spiritu Sancti aſſiſtentia loqui per Eccleſiam: credendum eſt Papam non poſſe errare, & dicere quod in huiuſmodi Papa erraret, eſſet hæreticum.* Si alia omnia, quæ continentur in verbo Dei poteſt Papa abſque vllo errore determinare, & declarare, ergo etiam illa quæ obſcurè continentur, nec euidenter omnibus patent.

11. B. Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio præclarè in rem noſtram ſic: *Hic forſitan requirat aliquis: Cùm ſit perfectus Scriptutarum canon, quid opus eſt vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram, pro ipſa ſui altitudine non vno eodemq́; ſenſu omnes accipiunt; ſed eadem eloquia, aliter atq; aliter, alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Atque id circo multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ, & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici, & Catholici ſenſus normam dirigatur.* Hæc certè non ſunt dicta de illis propoſitionibus, quæ in verbo Dei expreſſe patent, aut ab expreſſis quilibet mediocriter intelligens euidenter per ſe ipſum deducere poſſit.

12. B. Auguſtinus Triumphus de Ancona libro de Poteſtate Eccleſiaſtica q. 10. art. 3. innixus doctrinę S. Auguſtini libro de vera Religione ſic diſtinguit: *Papam poſſe aliquid addere ſupra illa, quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, & terminationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. Vtroque modo poteſt Papa aliquid addere ſupra ea, quæ ſunt fidei:*

dei: quia ſi aliqua ſunt dubia, & obſcura in fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare, poſt cuius determinationem, hæreticum eſſet contrarium pertinaciter aſſerere. Vnde dicit Innocentius, & ponitur 14. *Quæſt.* 1. *in cap. Quoties. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris authoritatem referre debere.* Ergo ſi quædam ad fidem pertinentia ita occulta ſint, & implicita in Dei reuelatione, vt dubitare contingat ipſos Papæ Fratres, ideſt Cardinales, & Epiſcopos; hæc ipſa poteſt Summus Pontifex determinare ita vt euadant explicitè de fide.

13. B. Ioannes de Capiſtrano in tractatu de Authoritate Papæ, & Concilij producit multos textus, & gloſſas Iuris Canonici pro auctoritate prædicta nulla limitatione reſtricta, præcipuè ex 3. Decretal. cap. *ſolitæ* tit. de maiorit. & obed. verbo *Quodcunq;*: vbi Gloſſa: *Qui dixit omnia nihil excepit.* Et 19. diſt. cap. *Si Romanorum*, & ff. de Officio præſidis libro 3. quia Innocentius iij. in cap. *ſolitæ* dixerat: *nihil excipiens qui dixit quodcunque.*

14. Paulus de Palatio in illud Matthæi 16. *Tibi dabo claues &c.* inquit. *Clauis vna eſt authoritas docendi ex Lucæ* 11. *tuliſtis clauem ſcientiæ. Altera clauis eſt authoritas gubernandi ex Iſaiæ* 22. *& Apocalipſis* 1. *Ergo cum Dominus dat claues Petro, dat cathedram docendi, dat imperium gubernandi in Eccleſia. Igitur omnes difficultates definire ad eum ſpectat, habet enim cathedram, licet ignorantiſſimus fingeretur: ita habetur in cap. Maiores de Baptiſmo, &* 24. *q.* 1. *cap. quoties.* Deinde paucis interpoſitis ſubiungit. Latiſſimæ ſunt hæ claues, & tam latè patent, quantum patet Eccleſia: ſi enim Petro datur Cathedra ergo ipſe definiet quid ſit de fide, quid contra hæreſis; definiet quid ſit peccatum, quid contra ſit iuſtum &c. Agnouit ergo clauem ſcientiæ Petro, & Succeſſoribus conceſſam extēdi ad omnes difficultates de fide tollēdas.

15. Franciſcus Vargas in Opere de Epiſcoporum Iuriſdictione propoſitione 14. inquit. *Petro tanquam Eccleſiæ fundamento quod ſibi Chriſtus Matthæi 16. ſubſtituit plenariam pollicitus eſt clauium poteſtatem, quam Ioannis vltimo contulit.* Iunge hæc dictis nu. 6. cum Gloſſa de plenitudine huius poteſtatis.

16. Ioannes de Contreras Canonicus Segouienſis, & celeberrimus Theologus Salmaticenſis, interfuit Cõcilio Baſileenſi, à quò electus fuit vt pro Immaculata Cõceptione Deiparæ Synodum informaret; poſtquam legit omnes tractatus, etiam manuſcriptos de hoc puncto, quos iuſſu, & impenſis Legati Apoſtolici ex tota Europa conquiſitos, & ad Synodum miſſos præmanibus habuerat, audiſſetque in publico Patrum conſeſſu informatores ex aduerſo, videlicet Ioannem de Montenigro Prouincialem Prædicatorum; & Ioannem de Turrecremata Magiſtrum Sacri Palatij, qui poſtea fuit Cardinalis, aſſerentes punctum hoc ab Eccleſia definiri non poſſe, quia nec expreſsè, ſeu formaliter continetur in verbo Dei, nec inde argumentatiuè neceſſaria illatione deduci poteſt, ipſe è cõtrario in ſua Allegatione 2. ad Concilium documento 3. art. 6. poſt multa concluſit. *Eccleſiæ authoritas eſt in his, quæ non neceſſariò ex ſacra Scriptura eliciuntur, ad hæc enim determinanda:* Quæ ſcilicet neceſſario ex ſacra Scriptura eliciuntur, *non congregantur Concilia, ſed Eccleſia congregatur ſuper Concluſionibus, quarum deciſio non habetur expreſſa in Scriptura, neq; ex illa neceſſariò ſequuntur euidentia omnibus nota.* Nec ita multo poſt ſubiungit. *In hoc præcipuè militant Eccleſiæ determinationes, quòd quando ſunt duo propoſitiones probabiles eligant alteram ex ipſis, quam ipſa iudicat probabiliorem.* Allegatione autem prima cum Sancto Auguſtino Sermone de Aſſumptione dixerat, rationem conſulendam, quando ſpecialis, & expreſſa in verbo Dei determinatio non habetur; verba S. Auguſtini ſunt: *Tanto, quæ*

magna

magna ſunt, cautius conſideranda, & tractanda ſunt, quanto ſpecialibus authoritatum teſtimonijs non poſſunt ad liquidum roborari: ſed quędam Scriptura ſacra veritatis indagatoribus quærenda reliquit. Licet autem videatur contentus eſſe probabilitate maiori intelligi tamen poteſt comparatiue ad aliquos de Eccleſia, quibus non conſtet dogma à Pontifice definibile contineri neceſſario in Dei verbo, vt colligitur ex præcedentibus illis verbis: *euidentia omnibus nota.*

17. Ioannes Epiſcopus Roffenſis Academiæ Cantabrigienſis Cancellarius eminentior ſanguine, & vita pro Rom. Pontificis primatu profuſis, quàm purpura, qua dum eſſet in carcere Londinenſi renuntiatus, factuſq, eſt S. R. E. Cardinalis, in luculentiſſima confutatione Lutheranæ Aſſertionis, *Quarta Veritate*, cuius theſis eſt, *Non ſemper quæcunque controuerſia ſit Exorta, ſolo ſacrarum literarum auxilio diſſolui poterit, ac reuelli*: Cùm hanc demoſtràſſet, & cum Tertulliano poſuiſſet caſum de duobus pertinaciter contendentibus ſuper legitimo ſenſu verbi Dei concludit: *Quomodo lis iſta ſopietur, præſertim cũ nihil ex Scriptura afferri poſſet, quod vterque non vertat in partem ſuam? Quem Iudicem hic adibimus niſi Petri Cathedram? quæ profectò dubijs in rebus, & ad fidem precipuè ſpectantibus nunquam non erit adiuta diuinitus, vt certam nobis depromat veritatem.* Et Veritate Decima docet manere adhuc in Eccleſia *Sacrum Spiritum, cuius negotij gratia tam à Patre quàm* à *Filio mittebatur, vt apud nos maneret in æternum, ſimulq; veritatem omnem aperiret, quoties vlla de fide ſuboriretur dubitatio* Ergo Spiritus Sanctus adeſt ſedenti in Cathedra Petri, vt non obſtantibus Catholicorum dubijs, certam aperiat veritatem.

18. Ioannes Driedo lib. 4. de Eccl. ſcripturis, & Dogmatibus cap. 5. & 6. fuſiſſimè docet multos errores ab Eccleſia damnatos eſſe, & multas veritates definitas, etiam ſi in verbo Dei euidenter non viderentur contineri; quæ prolixitatis vi-

vitandæ cauſa huc minimè tranſcribimus.

19. Albertus Pighius Campenſis in egregio volumine de Hierarchia Eccleſiaſtica, quod inſtante Concilio dicauit Paulo iij. Summo Pontifici lib. 4. cap. 2. propoſito caſu de duobus diſceptantibus ſuper expoſitione verbi Dei, ait. *Quis hos in ſuo ſenſu vtrinque pertinaces conciliabit inuicem, ſi in his non ſubijciemur Præſidentis iudicio. Quis tandem dubitationum quæſtionum, & altercationum finis erit?* Et poſt pauca concludit: *Quare præſidenti in Eccleſiaſtica Hierarchia neceſſaria erat ea authoritas, vt altercationes huiuſmodi ad ipſius deferri iudicium, & eiuſdem diffinitione terminari oporteat.* Idem Capite tertio expendens Saluatoris verba illa: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autē rogaui pro te, vt non deficiet fides tua, & tu aliquādo conuerſus confirma fratres tuos*; ſubiungit: *non dicit rogaui pro vobis vt non deficiat fides veſtra: ſed vnius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis atq; eius cathedræ ſingulare ea in re priuilegium ſtatuit*, & paulò poſt. *Vides itaque ad cuius authoritatem Chriſtus voluerit pertinere, dubia controuerſiaſq; quæ inter nos de fide, lege, religioneque Chriſti quomodolibet oriuntur definire, ad cuius iudicium in omni ambiguo difficiliq; negotio nobis recurrendum ſit.* Rurſus eodem capite contra eos, qui dicebant ex euidenti tenore legis dijudicandum eſſe vtrum Iudex, ad quem Moyſes Deuteronomij 17. mandat recurri, reſoluat quæſtiones legis iuxta euidentiam verborum legis, acutè ſanè, ſed ſolidè infert: *Quaſi ita ſe habeant an non planè ridiculus videbitur ſiue ille Moyſes, ſiu ſacer ſpiritus, & prorſus luſiſſe operam, qui dubitantes nos legis ſcripturarumq; occaſione remittit ad ſacerdotale præſidentis iudicium? Nam ſi per me mihi conſtabat quid eſſet ſecundum legem, vnde dubium? Quorſum ad præſidentium remittor iudicium?* Reliqua lectu digniſſima vide apud ipſum pro authoritate Romani Pontificis in decidendis quibuslibet dubijs licet impli-

pli-

plicitè in Dei verbo incluſis; pro qua tandem libro 4. cap. 6. concludit. *Itaque ne inter eiuſmodi turbas, & fluctus incerti fluctuarentur Chriſti fideles, circumferrenturque omni vento doctrinæ, Eccleſiæ ſuæ prouidens miſericordiſſimus Dominus, ſpeculam quandam inter nos conſtituit, Cathedram videlicet Apoſtolorum, & totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principis Petri, ad quam facilis cuique pateret recurſus, quam in omni dubitatione poſſet facile conſulere.*

20. Robertus Bellarminus S.R.E. Card. Controu. 1. lib. 3. toto docet, Sacram Scripturam non eſſe tam apertam per ſe, vt ſine explicatione ſufficiat ad controuerſias fidei terminandas, & c. 10. §. *Ad Decimum quintum* reſpondet: *Verbum Eccleſiæ ideſt Concilij, vel Pontificis docentis ex Cathedra non eſſe omnino verbum hominis, ideſt verbum errori obnoxium, ſed aliquo modo verbum Dei, ideſt prolatum aſſiſtente & gubernante Spiritu Sancto.* An autem id valeat pro ſoluendo quolibet dubio fidei iam cap. 5. prænotauerat non eſſe Matthei 16. dictum à Chriſto. *Quemcunque ſolueris*, ſed dictum eſſe *quodcunque ſolueris, vt intelligamus nodos omnes ſeu legum diſpenſando, ſeu pœnarum, & peccatorum relaxando, ſeu dogmatum, & controuerſiarum explicando à Petro, eiuſq; Succeſſoribus ſolui poſſe.* Nodi autem præcipuè ſunt illi qui perplexitatem habent implicitam, vel qui non omnibus euidenter ſolubiles videntur.

21. Gregorius de Valentia in Analyſi fidei libro 5. cap. 2. oſtendit S. Scripturam ob ſui profunditatem, & obſcuritatem, non eſſe ſufficientem ad omnes fidei quæſtiones determinandas, & cap. 3. non continere omnia, & cap. 8. Traditionem ipſam ſolam per ſe ad id non ſufficere, quia non ſemper adeo clara eſt, vt nequeat in dubium reuocari. deinde libro 6. docet Authoritatem fidei magiſtram vniuerſalem eſſe illam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti paret, & lib. 7. *Ipſummet Romanum Pontificem eſſe*

illum

illum, in quo authoritas illa reſidet ad iudicandum de omnibus omnino fidei controuerſijs. Poſtea lib. 8. cap. 3. obiect. 4. negat limitandam Pontificis authoritatem ad ea ſolùm definienda, quæ de neceſſitate ſalutis credenda ſunt quoad exercitium actus. *Nam* inquit *ſi neceſſaria ad ſalutem intelligantur ea eſſe quæ à fidelibus cunctis explicitè ſunt credenda, immeritò infallibilis authoritas Pontificis ad hæc tantum coarctabitur. In alijs enim ferè rebus illa exercetur, quas non omnes fideles explicitè ſcire tenentur: vt quod Eſſentia diuina non generat: quòd ſummus iuſti per inhærentem iuſtitiam, & id genus alia. Sin verò neceſſaria ad ſalutem appellantur illa, quæ nemini abſq; ſalutis periculo negare licet; tunc quidem omnia ſimpliciter, quæ Pontifex in rebus de Religione controuerſis, tanquam perſona publica determinat, neceſſaria hoc modo ad ſalutem efficit, hoc ipſo, quod vniuerſam Eccleſiam obligat ad illarum determinationem recipiendam, ſi non explicitè credendo neceſſitate quoad actus exercitium; certè non ea negando cum fuerint propoſita, atque adeo credendo ea neceſſariò quoad actus ſpecificationem.* Et tandem concludit ſic. *Ita abſq; vlla reſtrictione dicendum eſt, quidquid Pontifex in rebus controuerſis ad pietatem ſpectantibus determinat infallibiliter illum determinare, quando vniuerſam Eccleſiam obligat.*

22. Chriſtophorus Vuega in ſua Theologia Mariana Palæſtra iij. Certamine 10. num. 322. Contra Canum, & Grauinam, de quibus ita refert: *Solus Cano lib. 4. de locis cap. 3. & Grauina 2. p. tom. 4. q. 2. neſcio quo ducti fundamento, ad vltimam definitionis diſpoſitionem expoſcunt, vt res definienda certò conſtet reuelatam eſſe in Sacris voluminibus, vel ex Traditione id certum ſit, vel ſaltem quòd ex reuelatis certò deducatur.* Mox ipſe ſuam ſententiam promit dicens. *Nullus Catholicorum in dubium reuocare poteſt penes Summum Pontificem reſidere poteſtatem dubia dirimendi, quæ*

circa loca Sacrarum Scripturarum, eorumq; ſenſum verum emergere poſſunt. Quod ſi ad definiendam aliquam veritatem opus eſſet, vt infallibili certitudine antecedenti ex Sacra Scriptura, vel Traditione conſtaret, profectò non reſideret authoritàs penes Summum Pontificem decidendi dubia, ſed ſolùm proponendi ea, quæ certa, & manifeſta eſſe aliunde conſtaret. Scitè dixit non requiri certitudinem antecedentem antea ſcilicet omnibus Catholicis manifeſtam, aut euidenter deducibilem, nam certum eſt Pontificem quando definit id facere certitudine concomitanti ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, & poſt definitionem certitudinem conſequentem deduci.

23. Animaduertendum tandem eſt opinionem num. 2. relatam tunc primum erupiſſe, quādo in Concilio Baſileenſi actum eſt de definienda Deiparæ præſeruatione à peccato Originali, antea enim, & aliàs nullus Catholicorū eam opinionem protulit. At ea non obſtante, Patres Concilij oppoſitum ſanxerunt, neq; in hoc vnquam reprobata fuere illius Acta, & ea occaſione excitati ſunt quamplurimi Scriptores Catholici, ad hoc ipſum punctum examinandum, qui admirabili conſenſu docuerunt ſufficere ad hoc definiendum; *Quòd contineatur implicitè in verbo Dei tradito, vel ſcripto, neq; dubium paucorum Catholicorum obſtare poſſe, quin Summus Pontifex Spiritu Sancti inſtinctu poſſit indubitanter cenſere dictam præſeruationem contineri in verbo Dei, & ſufficienter reuelatam eſſe iam Eccleſiæ, præſertim poſt Inſtitutionem Feſti cum proprio Officio, & Miſſa factam à Sede Apoſtolica, & Romana, ideoq; definiri poſſe ab eadem Sede.* Quod multò rationabilius dicerent, & aliqui reipſa dixerūt poſt Conſtitutionem Alexandri vij. qua declarauit, *veterem ſenſum, & nunquam immutatum Eccleſiæ cum ſuo capite in celebrando Conceptionis feſto fuiſſe, quod Deipara in primo inſtanti creationis animæ, & infuſionis in corpus præſeruata fuerit à peccato originali.* Quoniam verò omnes Auctores, quos videre

dere licuit pro definibilitate prædictæ Præſeruationis fundantur in tertia Sententia, & ſtant pro illa, ideo placet ſelectos hic recenſere omiſſis breuitatis cauſa illorum verbis. ſunt autem infraſcripti.

24. *Ambroſius Catharinus* Archiepiſc. Compſenſis in tractatu de Concept. B. M.

Ægidius Luſitanus lib. 3. de Præſeruatione Virg. quæſt. 8.

Antonius de Treio Epiſc. Carthag. & Philippi iij. Regis Catholici Orator apud Paulum v. pro hac cauſa Oratione 9. corãm illo Pontifice in Conſiſtorio Cardinalium habita, quam refert Theologus ipſius *Lucas Vuadingus* in Hiſtoria huius Legationis ſect. 2.

Franciſcus Soſa Epiſc. Oxonẽ. in ſua de hac re Relatione.

Angelus Manrique Epiſcopus Pacenſis, in peculiari libello de hac definibilitate ad Innocentium x.

Ioanes Serranus Epiſcopus Acernenſis cap. 5. Elucidarij multos adducens.

Armamentarij Seraphici quinque Theologi inſignes ex Ordine minorum à Columna 198.

Ludouicus Creſpi Epiſcopus Placentinus Orator Philippi iv. ad Alexandrum vij. in Propugnaculo definibilitatis piæ ſententiæ, qui ab eodem Pontifice obtinuit prænominatam Conſtitutionem.

Franciſcus Felix Tract. de peccatis cap. 11. *Portellus* Tom. 2. Reſpons. Moral. & *Bonacina* Tom. 2. de peccatis diſp. 2. & in tract. de Incarnat. diſp. 1.

Laurentius à Ponte in librum Sapiẽtiæ cap. 1. digreſs. 2. n. 4.

Franciſcus Guerra in opere inſcripto maieſtas Gratiano Virginis à folio 116.

Marcus Antonius Palaos in defenſione Dominicana c. 8.

Hugo Siphilinus in Corolla Virginis Propoſit. cxi.

Angelus Vulpes Tomo 3. in Scotum p. 4. diſp. 7. art. 83.

Thomas Frances in Certamine Scholaſtico de Concept. ſect. 4. 13. & 14.

Petrus Simanchas in tractatu de huius articuli definibilit.
Antonius de Roſende in opere de hoc eodem argumento
Sylueſter Saauedra in Sacra Deipara, Veſtigatione 3.diſp. 19.& 20.Omnes demum Academiæ Catholicæ,& perſonæ Eccleſiaſticæ inprimis, quæ litteris ſuis pro hac definitione ſupplicarunt Summis Pontificibus Paulo v.Gregorio xv.Vrbano viij. Innocentio x. & Alexandro vij.

Ex Societate autem noſtra idem cenſuerunt.

25. *Valentia* in 3.p.diſp. 2.q.27.*Suarez* in 3.p.tom 2. diſp. 3.ſect. 6.*Vaſquez* Tomo 2.in 3.p.diſp. 117.cap. vlt. *Salazar* in Defenſione Immaculatæ Concept. cap.43.§. 6. verſu Sed vlterius.*Iacobus Granado* diſp.3. de Concept. ſect. 32. *Andreas Mendo*, & *Ioſeph. de Garnizo* in Informationibus pro huius puncti definibilitate. *Ambroſius Pennaloſa in* Vindicijs Deiparæ de peccato Originali diſp. 12.cap. 12.& diſp. 14. *Antonius Velaſquez* de MARIA Immaculatæ concepta lib. 5. *Chriſtophorus Vuega* in Theologia Mariana,Palæſtra 3.à Certamine 10. & apud ipſum Oieda, & Lucero. *Ioannes Euſebius Nierembergius* in Operibus Parthenicis Epiſtola 12.inter diſſertationes Epiſtolicas.*Ioannes Valenzuela* Cenſor ſupremi Conſilij Inquiſitionis Hiſpanæ, qui anno 1652.die 25.Februarij Compluti publicè propugnauit hanc Theſim: *Immunitas MARIÆ Virginis à peccato Originali eſt vndequaque in proximo ſtatu definibilitatis de Fide abſq; Concilio* Quod antea teſte Velaſquez lib.3. diſſertationes 3.adnot. 3. defenderât anno 1649. Salmanticæ in publicò Gymnaſio alter alia formula,quam vide apud ipſum. Denique Franciſcus Salinas in Ionam Prophetam tomo 2. quæſt. 16.n. 11.& q. 35.n.123.& q.38.n. 10.

CAPVT III.

Argumenta pro Tertia Sententia Numero 3. Expoſita.

26. PRimò à fortiori argumentari licet ab authoritate diuinitus conceſſa Summo Sacerdoti Iudæorum; ad authoritatem diuinitus concedendam, & reipſa conceſſam Summo Pontifici Chriſtianorum tanto ampliorem, quanto Lex Euangelica vniuerſo Orbi prædicanda, plures nationes earumq; diuerſa ingenia excitare poterat ad plures quæſtiones, & multiplicia dubia de Fide, & Religione noſtra, quàm Lex Moſaica: quando notus in Iudæa ſola erat Dominus, poſtea enim Romanus Pontifex fuit, & eſt *Græcis, ac Barbaris, Sapientibus, & inſipientibus debitor*, non ſolùm Euangelizandi per ſe, vel per miſſos ab Apoſtolica Sede; Sed etiam ſoluendi omnia dubia de fide, vbicunq; exorta, & vndecunque ad hanc Sanctam Sedem delata. Porrò Deuteronomij 17. Deo iubente dicitur expreſsè: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam; lepram, & lepram: Et Iudicum intra portas tuas videris Verba variare: Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Clauſula verò illa: *docuerint te iuxta legem,* non ſignificat eum, qui ambigebat, & pro dubio recurrebat ad SummumSacerdotem debuiſſe exami-

minare, an Iudex rectè iudicare., & dubium ſolueret iuxta tenorem legis, ſicut ridiculè, & inſulsè interpretantur Sectarij. Fruſtra enim amandatus eſſet ad Sacerdotem ille, qui per ſe ipſum diſcernere poterat, quid Lex Domini exigeret, & ſuum ipſius dubium diſſoluere, potuiſſetq; ſuam ſententiam antecedenter ad deciſionem Sacerdotis ſequi cum ſecuritate, vel certè data fuiſſet anſa non tam ſuperbiendi, quam iuſto prætextu profitendi ſe tanquam peritiorem legis. Apud LXX. Interpretes tamen clauſula illa ſic ſe habet. *Et cuſtodies valdè vt facias iuxta omnia, quæcunq; ſancita tibi fuerint iuxta legem quæ fuerit: Secundùm iudicium, quod dixerint tibi facies*. Hebraica autem verſio ad litteram, vt expoſuit Ioannes Stunica Hiſpanus illius linguæ conſultiſſimus, & retulit Albertus Pighius lib.4. Hierarchiæ Eccl.cap.3.ſic habet: *Et cuſtodies vt facias iuxta omne quod te docuerint: iuxta legem, quam docuerint, & iuxta iudicium quod dicent tibi facies.* Deniq; Chaldaica Pentateuchi interpretatio, iuſſu Domini Franciſci Cardinalis Toletani impreſſa, ſic pariter habet. *Et cuſtodies vt facias iuxta omnia, quæ docuerint te. Iuxta præceptum legis quod docuerint, & ſecundùm iudicium quod dixerint tibi facies.* Poſtremò à fortiori quoq; de Summo Sacerdote Legis gratiæ interpretaturo non ſolam legem Chriſti, ſed ipſam quoq; legem Moyſis, quæ fuit vmbra, & figura nouæ legis, vera ſunt quæ Malachiæ 2. Dominus de Leui Sacerdote eiuſq; ſucceſſoribus teſtatus eſt: *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius &c. Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

27. *Secundò.* Promiſſiones, quibus Chriſtus Dominus pollicitus eſt Petro, & Succeſſoribus eius diuinam aſſiſtentiam, vt nunquam poſſet deficere in his, quæ ad Fidem pertinent, & veritatem omnē docere fratres ſuos, omneſq; oues, & agnos verbo doctrinæ paſcere, ſunt adeò vniuerſales non ſolū quod

loca,

loca, perſonas, ac tempora, ſed etiam quoad propoſitiones de Fide, & Religione aliquo modo à Deo reuelatas, vt nemo Catholicorum (demptis pauciſſimis numero ſecundo indicatis) quod equidem videre licuerit, in tot voluminibus de poteſtate Pontificis, aut Concilij, neq; vlla Concilia, neque vlli Patres auſi ſint eas promiſſiones limitare ad ea tantummodo, quæ explicitè continentur in verbo Dei tradito, vel ſcripto, aut ex explicitis euidenter ab omnibus, vel ferè omnibus deduci poſſunt: Vnde igitur audeamus nos reſtringere ad tales propoſitiones verba illa Saluatoris apud Ioannem 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis.* Et ibidem verſu 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Item Ioannis 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ.* Qui enim dixit, *omnia,* & *omnem veritatem*, nihil excepit, ſicut neque cum dixit Petro Matth. 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Non enim dixit *Quemcunque.* vel *Quoſcunque,* ſed vt obſeruauit Bellarminus, *Quodcũque.*

28. *Tertiò.* Si Chriſtus Dominus non dediſſet ſuo in terris Vicario authoritatem determinãdi infallibiliter quæſtiones, & dubia Fidei, ac Religionis, quando eorum ſolutio non eſt expreſſa in verbo Dei tradito, vel ſcripto, nec inde ita euidenter deduci poteſt, vt non poſſint etiam Catholici aliqui perſiſtere in dubio ſemel excitato; Defeciſſet eius prouidentia in vno ex præcipuè requiſitis ad authoritatem tanti, ac talis Vicarij, & illum quoad hanc partem auctoritatis non exaltaſſet ſupra alios Iudices, aut Iuris diuini Cõſultos. Ex vna.n. parte præſciebat ſuſcitandas innumerabiles controuerſias tùm ab Ethnicis, tùm ab Hæreticis, tùm à Catholicis, circa Myſteria Trinitatis, Incarnationis, Sacramẽta, Iuſtificationem, Cultũ, & Ca-

& Canonizationem Sanctorum, Purgatorium, Indulgentias, Vota, Contractus, & circa hanc ipſam poteſtatem ſui Vicarij, & iuſſit, vt pro his fieret recurſus ad Eccleſiam fundatam in Petra Sedis Apoſtolicæ, neque iudicauit tales controuerſias impediendas, aut Angelis de Cœlo miſſis, vel alijs mirabilibus modis diſſoluendas, ſed ad ſupremum Eccleſiæ tribunal deferendas, & per Summum Præſidem terminandas. Ergo ſicut alij Iudices ſupremi habent poteſtatem terminandi lites Ciuiles, & in hoc maximè elucet eorum authoritas, quod in rebus arduis, & iure valdè ambiguo, poſt auditas partes acerrimè vtrinque informantes, poſſint litibus finem imponere, ita nō minus, imò magis debebat in hoc elucere poteſtas Supremi Iudicis Chriſtianorum, vt arduas quaſque, ac difficiles quæſtiones de Fide aut Religione poſſet terminare, quanto hoc negotium maius eſt, & concernens non iuſtitiam politicam, & tranquillitatem temporaneam, ſed ſempiternam. Et quia in quæſtionibus de fide agitur de actu, & habitu credendi, cui abſolutè non poteſt ſubeſſe falſum, oportebat vt Vicarij Chriſti Sententia in his rebus immunis eſſet ab errore ſpeculatiuo, & non tantum practico: qualem prærogatiuam non habent talem Iudices terræ, quibus ſufficit ſententiam ferre ſecundùm allegata, & probata.

29. *Quartò.* Opinio ſecunda numero ſecundo relata, preter intentionem quidem auctorum illius, fauet tamen vehementer hæreticis in omni caſu, in quo dubia de Fide, & Religione decidi non poſſunt ex Dei verbo expreſſo, ſiue ſcripto, ſiue tradito, eo quod aut recipiunt ſolam Scripturam, aut ſolas Traditiones in hiſtoria Eccleſiaſtica certas, & à nemine in dubium reuocabiles, in his enim caſibus ſecunda illa opinio præbet occaſionem hæreticis dictitādi, Pontificem Romanum non eſſe illam regulam viſibilem, ad cuius normam dirigenda ſint dogmata fidei ſpeculatiua, aut practica. Nam ſi non ſunt expreſſa in vllo Dei verbo, nec ab expreſſis cui-

euidenter deducibilia, fruſtra eſſe videbitur ipſis illa regula, quæ non poteſt extendi, applicariue ad talem materiam. Si verò ſunt ibi expreſſa, aut ab expreſſis euidenter deduci poſſunt, fruſtra ex longinquis præſertim partibus ad Sedem Apoſtolicam adigendi ſunt Chriſti fideles: Si quidem illas propoſitiones priuatus quilibet intelligere, ac declarare alijs poſſet, dummodo legere nouerit, & Logica naturali, aut artificiali rectè diſcurrere. Atq; ita confirmari poſſent Caluiniſtæ, Lutheraniq; in ſuo illo errore de non recipiendis, niſi quę in verbo Dei reperiuntur expreſſa, aut inde euidenter à priuato, cuiuſq; ſpiritu deducibilia.

30. *Quintò* (& eſt argumentum latè tractatum à plurimis Controuerſiſtis contra Hæreticos iam inde à Tertulliani tempore) Sacra Scriptura licet quoad ea quæ ab omnibus actuali exercitio credenda ſunt explicitè de neceſſitate ſalutis, clara ſit, & pro his ſufficiat Symbolum Apoſtolorum, & pro obſeruãtia legis poſitiuæ ſufficiant præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, & hæc perſpicua ſint, iuxta illud pſal. 18. *Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis &c. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* In multis tamẽ alijs adeo profundæ maieſtatis eſt, & quaſi ſacræ caliginis velamine obducta, vt non facile certus, & irrefragabilis ſenſus poſſit humano ſpiritu attingi, ideoq; hæretici Scripturam Diuinam perinde ac ſi eſſet Lesbia, ſeu plumbea regula ingenioſè ad ſuos ſenſus inflectant, & imperitæ plebi, quidquid libuerit ex diuino codice perſuadeant. Id adeo verum eſt, vt iam tum Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 19. minus prudenter fieri exiſtimarit diſputare coràm plebe cũ hæreticis de Scripturę ſenſu minus obuio, & ſophiſticis interpretationibus obnoxio; Loquendo igitur de huiuſmodi Scripturæ locis, ſi vel inter Catholicos, vel ab hæreticis excitetur controuerſia, neque ex Traditione liquidò determinari valeat, Nonne loco regulæ Lesbiæ recurrendum eſt ad regulam inflexibilem, vi-

delicet ad *Eccleſiam Dei viui, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*, vt dicitur 1. Timothei 3. Quia nimirum fundata eſt ſuper baſi, & fundamento petræ Apoſtolicæ, ideſt aſſiſtentia diuini Spiritus à Chriſto promiſſa Petro, & Succeſſoribus Petri in Cathedra Romana. Id circo iuxta Sacroſanctam Tridentinam Synodum in Profeſſione fidei pollicemur: *Admittere nos ſacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum*. Atque adeo diſcernere quęnam ſaltem implicitè, & quęnam indubitanter contineantur in verbo Dei, ſi de hoc ipſo controuerſia oriatur, & hæc ipſa quæſtio quam nunc agitamus ad Sedem Apoſtolicam deferatur, an ſcilicet promiſſiones Chriſti numero 27. productæ reſtringendæ ſint ad propoſitiones tantummodo in verbo Dei ſcripto, traditoue expreſſas, aut ab expreſſis euidenter deductiles, tandem enim hæc, & ſimiles quæſtiones ex alijs locis non expreſſis determinandæ erunt ab eo, cui adeſt Spiritus Sanctus, vt indubitanter agnoſcat, quid ſit conforme reuelationi Diuinæ. Tanta deniq; eſt Sedis Apoſtolicæ in huiuſmodi dubijs reſoluendis authoritas, vt ipſemet Cęleſtius antea Pelagianiſmi acerrimus propugnator, teſte S. Auguſtino libro 2. aduersùs eundem, cùm rationes omnes, & ſacras Scripturas eluderet, nullaq; Synodali authoritate, nullis diſputationibus ſuperari valuerit, vni authoritati B. Innocentij Romani Pontificis acquieuerit.

31. *Sextò* demum ſcitum eſt ex regulis vtriuſq; iuris, imò ex naturali æquitate, in dubio (cæteris paribus) præſumendum eſſe pro authoritate ſupremi Iudicis, & meliorem eſſe conditionem Principis Supremi poſſidētis ſuam poteſtatem, nec ſine vehementi ratione derogari ipſi poſſe ab vllo præſertim inferioris authoritatis, ergo multo minus derogandum eſt authoritati Vicarij Chriſti, qui eſt Supremus Iudex, & Princeps Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, reſtringendo eius

autho-

authoritatem ad ea tantummodo dogmata de fide declaranda, quæ iam per ſe clara ſunt,aut ex manifeſtis Scripturis,vel Traditionibus euidenter inferuntur. Cùm ad talem reſtrictionem nulla vehemens ratio faciat, nullum verbum Dei, nullum Concilium approbatum,non Patrum,non Doctorum Catholicorum conſenſus, non deniq; exempla, & praxis definitionum Sedis Apoſtolicæ,cum hæc potius contrarium firment, & tertiæ ſententiæ fundamenta confirment,vt ſequenti capite conſtabit.

CAPVT IV.

Exempla Selecta Definitionum Eccleſiæ, quibus confirmatur Tertia Sententia cap.1.num.3.expoſita.

32. P*rima* occaſio interpretandi ſacram Scripturam de ſe obſcuram obtulit ſe S.Petro,quando, vt habetur Actorum primo,in conſeſſu, & quaſi Concilio Apoſtolorum, & Diſcipulorum dixit: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid de Iuda &c. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: fiat commoratio eorum deſerta, & Epiſcopatum eius accipiat alter.* Quis autem legens totum Pſalmum 118. vnde hæc decerpta ſunt, agnoſcat id à Spiritu Sancto dictum euidenter de Iuda proditore? nemo ſanè. Sed Petrus inſtinctu Diuini Spiritus quod obſcurum videbatur,& dubium eſſe poterat,declarauit intelligendum indubitanter de Iuda in particulari.

33. *Secunda* quæſtio agitata in primo Concilio Apoſtolico, & deſcripta Actorũ 15. fuit de Circumciſione ſubeunda vel ab omnibus Chriſtianis, vel à Iudæis, licet Baptiſmo Chriſtianorum expiatis,& deLegalibus alijs præceptis in lege Moyſis incluſis.Præſertim cum Geneſis 17. de Circumciſione dictum eſſet *Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*. Et de quibuſdam alijs legalibus *legitimum*

ſempiternum:eam autem quæſtionem Petrus terminauit,ſubſcribentibus alijs, & præcipuè Iacobo Epiſc. Hieroſolymæ, profeſſus ad ſe pertinere deciſionem huiuſmodi dubiorum: neque protulit, aut verba Chriſti, aut aliquem ſcripturæ locum,in quo expreſſè contineretur Gentium iuſtificatio abſq; Circumciſione, ſed indicauit ſolum loca,in quibus implicitè id continebatur: & declarauit iuſtos veteris legis, non ſola obſeruantia legis Moſaicæ, ſed fide in Chriſtum, & interiori Spiritus Sancti gratia mundatos eſſe, dicitur enim Actorum 15. *Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres vos ſitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus teſtimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum ſicut, & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos fide purificans corda eorum: Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; Patres noſtri, neque nos portare potuimus? ſed per gratiã Domini IESV CHRISTI credimus ſaluari quemadmodum, & illi.* Locus autem,quem Iacobus ex veteri teſtamenti produxit de re ædificatione tabernaculi Dauid: *vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes Gentes, ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus*, eſto expreſſam vocationem gentium contineret: quia tamen in ſemine Abrahæ benedicendæ erant omnes Gentes, & Abrahæ mandata fuerat, & ſemini eius Circumciſio, & ipſe Chriſtus circumciſus fuerat, & nondum reprobauerat Circumciſionem, imò illam tacitè approbare viſus erat, quando dixit: *Si Circumciſionem accipit homo in Sabbato vt non ſoluatur lex Moyſi* dubitari potuit, & de facto dubitatum fuit Antiochiæ, & Ieroſolymis an Gentiles,non ſolo Baptiſmi,ſed etiam Circumciſionis præcepto adſtringerentur. Verùm hanc difficilem quæſtionem authoritate ſua terminauit Petrus. & aſſiſtente ipſi Spiritu Sancto indubitanter agnouit, & decreuit quid

Deus

Deus reuelaſſet implicitè in Scripturis, terminauitq; illam Epiſtola Synodali, in qua dixit: *Viſum eſt enim Spiritu Sancto, & nobis &c.*

34. *Tertiò* loco fit quæſtio de die Paſchatis celebrando, quæ multis ſeculis agitata fuit in Eccleſia Orientali, & Occidentali. Inhærendo enim expreſſo textui Exodi 12. Videbatur vi legitimi ſempiterni celebrandum Phaſe quartadecima die primi Menſis nouarum frugum, ideſt decima quarta die Menſis illius Lunaris, quæ incidiſſet in diem Aequinoctij verni, aut poſt illum, quæcunque demum feria eſſet. Et ita obſeruabant Iudæi ex traditione ſuorum Pontificum. Quoniam verò S. Ioannes Apoſtolus permiſerat Iudæos ad Chriſtum Conuerſos celebrare tali die Paſcha ἀνασάσιμον, ideſt, in quo Chriſtus fuit Crucifixus: Eſto noſſet melius ab aljs celebrari die Dominico Paſcha σαυρώσιμον, ideſt Reſurrectionē Domini, ſicut Romæ, & in plurimis Eccleſijs Occidentis ex traditione Apoſtolorum Petri, & Pauli celebrabatur: ideo exorta eſt controuerſia de hoc ritu, & traditione, quæ ex conſuetudine Eccleſiarum quarundam Orientalium videbatur fauere Quartadecimanis; Vnde Albertus Pighis lib. 4. Hierarchiæ Eccl. cap. 8. aduertit. Quęſtionem hanc de cultu & ritu potiùs quàm de fide terminari non potuiſſe ex Traditione vbiq; certa, & recepta, nedum ex manifeſta Scriptura, ſed à Pio 1. & Victore Summis Pontificibus terminatam fuiſſe, ac deinde à Concilio Nicæno per Sylueſtrum Papam approbato. Vide ſi placet de illa Controuerſia Euſebium lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. & 24. Et quæ nos tractauimus in Apologia Calendarij Gregoriani à Clauio explicati contra D. Franciſcum Leueram.

35. *Quartò* vtrum Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedat, diu multumq; agitatum eſt inter Latinos, & Græcos Eccleſiaſticos: eo quòd id non ſatis expreſſum videretur in illis Chriſti verbis Ioann. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus,*

ctus, quem mittet, & Pater in nomine meo; neq; in illis Ioann. 16. *De meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia quacunque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Imò Ioann. 15. dixerat: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Quibus viſus eſt aliquibus ſignificaſſe Spiritus Sancti à ſolo Patre proceſſionem. Huc accedebat quòd in Symbolo veteri Apoſtolorum hæc proceſſio ab vtroquè non continebatur, & Leo Pontifex Sanctiſſimus ad vitandam diſcordiam non permiſerat in Symbolo addi clauſulam illam, *Qui ex Patre Filioq; procedit.* Multò minus expreſsè conſtabat, an Pater, & Filius ſint vnicum principium productiuum Spiritus Sancti, quia tamen plurimi Patres, etiã Græci Euangelium interpretati erãt de proceſſione ab vtroq; & in Symbolo Athanaſij eadem continebatur, tandem proceſſio ab vtroque definita fuit in Concilio Lugdunenſi, vt habetur in Sexto cap. Vnico *de Summa Trinit.* & in Florentino in literis Vnionis, Vbi de vnitate huius principij. Quas definitiones approbarũt Summi Pontifices ex inſtinctu Spiritus Sancti agnoſcentes id indubitanter contineri in verbis Chriſti: Non repugnat tamen dicere Patrem, & Filium eſſe duos Spiratores, ob diſparitatem adductam à S. Thoma in 1. diſt. 11. q. 1. art. 2.

36. Quinto quàm difficilis fuerit quæſtio de Origine animæ humanæ ob diuerſas Patrum opiniones, refert S. Gregorius Papa in Epiſt. decretali ad Fecundinum relata in 3. Tomo Conciliorum, & Colligitur ex S. Auguſtino de Origine Animæ. Neq; enim omnes cõcedebant ſolum Deum actione creatiua producere animas deſcendentium ab Adamo, negantes applicandum alijs, quod de Adamo dictum fuit Geneſis 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vita.* Nec ſatis expreſſum videbatur in illo Eccleſiaſtici, *Et ſpiritus redeat ad Dominum qui fecit illum* alijſue ſimilibus locis. Hanc tamen

men difficultatẽ interpretando Scripturas, & Patrum diſſenſum ſuſtulit Leo 1x.in explicatione fidei Romanæ ad Petrum Epiſcopum Antiochenum,quæ extat in Quarto Tomo Conciliorum: in ea enim definiuit Animam rationalem à ſolo Deo creari: vnde D. Thomas 1.2.q.118.art. 2.deducit hæreſim eſſes ſi quis dicat animam humanã ex traduce eſſe,ſeu traduci cum ſemine, & educi de potentia materiæ.

37. *Sextò* non minor imò maior controuerſia fuit olim, vtrum Animæ Iuſtorum iam Purgatorijs flammis expiatæ poſt Aſcenſionem Chriſti ſtatim introducãtur ad beatificam viſionem Dei: an potiùs diſtineantur alicubi vſq; ad reſurrectionem vniuerſalem corporũ. Quamuis enim ex Officio Diuino, & Miſſalibus antiquis ſupponeretur quoſdam Sanctos æternæ Beatitudinis præmia iam conſecutos eſſe, & multos cum ipſo Chriſto in Cœlum delatos eſſe, & violentos Regnum Cęlorum exinde rapere cœpiſſe,aliunde tamen ex aliquibus Scripturæ locis, præſertim Apoſtoli, & Apocalypſis, id non omnino certum videbatur de omnibus iuſtis iampurgatis,& pro parte negatiua ſtabant multi Patres Gręci,& Latini, quos adducit Bellarminus Contr. 7, lib. 1.cap. 1. adeo vt Ioannes xx11. tanquam priuatus doctor valde de hoc puncto dubitarit, mandaritq; Academiæ Pariſienſi,vt hoc ſedulò diſcuteret. Verùm dubiam apud alios traditionem,certam eſſe docuit,ac definiuit Benedictus x1.dictus x11.in Extrauaganti *Benedictus Deus*, & Florentinum Concilium ſeſſ. vlt.

38. *Septimò* Tres quæſtiones de Baptiſmo à Catholicis collato definitas inuenimus à Romano Pontifice,& Concilijs ab eo approbatis,quantumuis aliqui dubitaſſent de ſenſu noui Teſtamenti,aut de certitudine Traditionis,in quibus implicitè latebat fundamentum definitionis. *Prima* fuit de Baptiſmo Paruulorum: videbantur enim illius incapaces defectu fidei actualis: eo quòd Chriſtus dixiſſet Marci 16. *Qui cre-*

di-

diderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. Et Matth. 28. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Ideoq; baptiſmo præmittenda videbatur doctrina Catechetica. Dubium tamen hoc ſuſtulere Innocentius iij. in Concilio Lateranenſi anno 1215. cap. 1. Et Alexander iij. lib. 3. Decretal. tit. 42. de Baptiſmo cap. 3. *Maiores* vbi verba Chriſti decernit intelligenda de adultis, & verba illa Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sãcto, non poteſt introire in regnum Dei* æquiualere huic affirmatiuæ. *Quicunq; renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto poteſt introire in regnum Dei*. Ne Baptiſmus, qui ſubſtitutus eſt Circumciſioni, minus ſeu paucioribus proſit, quàm Circumciſio.

Secunda fuit an loco Baptiſmi *flumminis* quando hic in re obtineri non poteſt, ſufficiat ad iuſtificationem Baptiſmus *flaminis* ideſt votum Baptiſmi realis, ſeu deſiderium illius explicitum, vel implicitè ac virtualiter incluſum in actu Charitatis, aut Contritionis perfectæ; vel Baptiſmus *Sanguinis*, ideſt Martyrium, in quo includatur ſaltem implicitè deſiderium realis baptiſmi; Quam vis autem hæc non conſtarent ex verbo Dei expreſſo, imò vt ait Driedo lib. 4. cap. 6. non eſſet de his certa apud omnes traditio, definitum tamen fuit talia baptiſmata ſufficere ab Innocentio iij. in cap. *Apoſtolicam de Presbytero non baptizato* Ideo Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 4. docuit Baptiſmum aquæ neceſſarium eſſe vel in re, vel in voto.

Tertia Quæſtio fuit an in Baptiſmo paruulis infundantur cum gratia habituali, habitus, & virtutes ſupernaturales: Eſto autem id certo, & euidenter colligi non poſſet ex Scriptura, vel Traditione Clemens tamen v. in Concilio Viennenſi definiuit id eſſe probabilius, & magis conſentaneum Patribus, ac Theologis, vt refertur in Clemẽtina vnica §. *Ad hoc Baptiſmum de Summa Trinitate, & fide Catholica*.

39. *Octa-*

39. *Octauò* Maior fuit controuerſia de Baptiſmo ab Hęreticis ritè collato; Cathaphryges enim,& Nouatiani, Baptizatos à Catholicis rebaptizabant:idcirco Epiſcopi Aſiæ conuenientes Iconium,ne apud illos Sectarios videretur eſſe vera Eccleſia, ſtatuerunt Sacramenta ab Hæreticis collata eſſe inualida, qua de re Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia ſcripſit ad S Cyprianū Epiſcopum Carthaginis, cuius prædeceſſor Agrippinus de Tertulliani mente iam anabaptiſmum hunc in Africam introduxerat, eiſq; diu adhæſit Sanctus Cyprianus,confirmans hanc opinionem quibuſdam Scripturæ locis,in quibus Deus deteſtatur Sacras functiones ab impijs peractas, & illud Ieremiæ: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas*, accōmodabat fontibus baptiſmalibus Hæreticorum; Conſuetudinem autem Eccleſiæ interpretabatur,ita vt qui olim baptizati fuiſſent à Catholicis, ſi lapſi eſſent in hæreſim,validè baptizati eſſent; ſecùs verò de baptizatis ab Hæreticis. Et quidem diu Cyprianus cum multis Epiſcopis Orientis, & Ocidētis reſtitit Stephano Summo Pontifici, vnde orta eſt procella magna in Eccleſia, & quæſtio acerrima inter ipſos Catholicos de ipſa Traditione, eiuſq; intellectu,vt pluribus narrāt Euſebius lib 7 c.4.& 6. Hiſt. Eccl. Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 9. Baronius ad annum 258. & ipſemet Cyprianus Epiſtolis 70 71.72.73. Qui tamen poſtea acquieuit Stephano Papæ decernenti; *Nihil innouetur, niſi quod traditum eſt*, & declaranti verā Traditionem,eſſe quòd validè baptizati eſſent,nec amplius rebaptizandi,qui ab Hæreticis baptizati fuiſſent, iuxta materiam, formam, & intentionem ab Eccleſia Catholica vſitatam,atq; ita facta eſt tranquillitas magna. Aduertit autem Lirinenſis quantum in tanto dubio,& conflictatione præualuerit auctoritas Romani Pontificis dicens. *Tunc Beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem Col-*

legis ſuis, ſed tamen præceteris reſtitit, dignum vt opinor exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat.

40. *Nonò* Dogma de ſufficientia communionis ſub ſola ſpecie panis Euchariſtici quoad laicos, continetur quidem implicilè partim in Euangelio, partim in Traditione, & conſuetudine Eccleſiæ, ſed non ita euidenter, vt abſq; Romani Pontificis authoritate quæſtio hæc terminari potuerit. Nam quod attinet ad Euangelium pro ſufficientia vnius ſpeciei ſtant verba illa Chriſti Ioann. 6. *Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur*: Et illa: *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Et illa: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Facit huc quoque illud Lucæ 24. *Cognouerunt eum in fractione panis*, quod de pane Euchariſtico plurimi interpretes intelligunt cum Chryſoſtomo homil. 17. in Matth. Auguſtino lib. 4. de Conſenſu Euangeliſtarum, Theophilo Alexandrino, & Beda in cap. 24. Lucæ: in hac autem Cænula nulla mentio fit vini à Chriſto adhibiti, mox enim vt cognouerunt eum in fractione panis, ipſe euanuit ab oculis eorum; & iam antea dixerat Matthæi 26. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vſq; in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*: vnde colligitur ipſum poſt reſurrectionem manducando cum diſcipulis vino vſum non fuiſſe. Deniq; cum Actorum 2. dicatur de Chriſtianis: *Erant perſeuerantes in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis*, idque pleriq; interpretum exponant de pane Euchariſtico, abſq; vlla mentione vini, & Paulus teſte Chryſoſtomo ſupra, ſolo pane conſacrato laicis communicauit hinc ſufficiẽte colligitur etiam in primitiua Eccleſia vſitatam fuiſſe communionem ſub vna ſpecie panis.

Ex altera verò parte pro neceſſitate communionis ſub

vtraq; ſpecie ſtant verba illa Chriſti Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem Filÿ hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & iterum ibi: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam aeternam*, & rurſus: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo*. Nihil enim huc pertinet illud Matth. 26. *Bibite ex eo omnes*, cum conſtet ſolis Apoſtolis dictum qui fuere Sacerdotes, & quando ſacrificaturi erant ſub vtraque ſpecie conſecrare, & communicare debebant: Eſto hæc verba ſint Achilles Lutheri impudentiſſimè addentis omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, idque ſignificari à Petro illis verbis. *Vos autem genus electum regale Sacerdotum &c.* quem egregiè refellit Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis in Cõfutatione articulorum Lutheri art. 16. Huc accedit quòd ante decreta Eccleſiæ de conſecratione diſtinctione 11. cap. *Comperimus* de quibus Turrecremata, & alij in Commentarijs, licebat communicare Laicis ſub vtraque ſpecie, eſto in articulo mortis etiam Sanctis Sacerdotibus ſolum Chriſti corpus deferretur pro viatico, vt cõſtat ex ipſorum vitis de Sanctis Baſilio, Ambroſio, Hieronymo, Liborio, & Euſebio Vercellenſi.

His non obſtantibus pro vtraq; parte dubijs, Eccleſia Pontifice approbante interpretata eſt poſteriora Chriſti verba de hauſtu Sanguinis incluſi in venis Corporis Chriſti ſub ſpecie panis latentis. Et hanc inter alias rationem ſecuta eſt in prohibenda laicis cõmunione ſub vini ſpecie, ne quod Bohemis, & quibuſdam Græcis perſuaſum fuerat putaretur Chriſti corpus ſub ſpecie panis ſanguine carere, nec per corporis ſumptionem ſatiſfieri præcepto de bibendo eius ſanguine, tum ne Sanguis Domini facilè funderetur, aut conſeruatum vinum conſecratũ acceſſeret; aut citius corrumperetur. Refragantibus tamen aliquibus, Concilium Baſileenſe ſeſſ. 30. in

hoc approbatum ita decreuit: *Laudabilis quoque conſuetudo communicandi Laicum populum ſub vna ſpecie à SS. Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſimè obſeruata, & à Doctoribus Diuinæ legis ſacrorum Canonum, atq; ſanctarum Scripturarum multam peritiam habentibus, tam à longæuo tempore commendata pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine authoritate Eccleſiæ ipſam immutare.* Concilium quoque Conſtantienſe ſeſſ. 13. & Florentinum, in Inſtructione Armenorum idipſum ſanxere, ac demum Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 3. declarat. *Sub altera tantum ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi, ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.* Et Canone 3. decernit: *Si quis negauerit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & authorem ſub vna panis ſpecie ſumi, quia vt quidam falſò aſſerunt, non ſecundùm ipſius Chriſti inſtitutionem ſub vtraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.* Iam verò controuerſia hæc neque ex expreſſa ſcriptura, neque ex perpetua, & inuiolabili traditione euidenter ab omnibus admiſſa, ſed ſola authoritate Eccleſiæ, & aſſiſtentia Spiritus Sancti dirimi potuit. Nam de conſuetudine teſtatur Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. his verbis. *Licet in primitiua Eccleſia huiuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraque ſpecie tamen ad euitanda aliqua pericula, & ſcandala, hac conſuetudo eſt rationabiliter introducta, vt à conficientibus ſub vtraque ſpecie, & à Laicis tantummodo ſub vna ſpecie panis ſuſcipiatur.*

41. *Decimò* Ad propoſitum noſtrum facit authoritas, quę eſt in Summo Pontifice, & in Concilio ab ipſo conuocato, directo, & approbato decernendi quinam ſint libri Sacræ Scripturæ Canonici, etiam quando id non poteſt ex traditione vbique recepta euidenter deduci, nam ex Sacra Scriptura cer-

certum eſt vix vllum integrum librum, ex alterius libri eiuſdem Scripturæ loco probari poſſe. Neglectis autem Hæreticis Canonicorum librorum impugnatoribus, quamuis omnes libri nunc extantes in ſacris Biblijs dempto 3. & 4. Eſdræ & recenſiti à Concilio Tridentino ſeſſ 4 in Decreto de Scripturis Canonicis à multis Catholicis recepti fuerint olim, & pleroſq; illorum in Canonem admiſerint Innocentius I. Epiſtol. 3. cap. 6. Gelaſius in Concil. Romano, Zoſimus Papa in reſponſione ad 4. Concilium Carthaginenſe Can. 7. & Florentinum Concilium ſub Eugenio IV. Decret. 7. Olim tamen de aliquibus hiſce libris dubitatum fuit, imò aliqui alicubi non ſunt recepti. Totum enim librum Eſther, aut ſeptem poſteriora eius capita non agnouerunt pro Canonicis Athanaſius in Synopſi, Nazianzenus in carmine de Diuinis Scripturis, Liranus, Carthuſianus, Hugo Cardin. Caietanus, & Sixtus Senenſis lib. 1. & 8. Bibliothecæ. Præterea S. Hieronymus in prologo Galeato, & in prologo Prouerbiorum dixit. *Sicut igitur Tobiam, Iudith, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit, ita hæc duo volumina Sapientiam, & Eccleſiaſticum legit ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Ita ille Librum Baruch. canonicum eſſe inficiatur Ioannes Driedo lib. 1. de Script. & dogmat. Eccl. cap. vlt. idemque negat de hiſtoria Suſannæ narrata cap. 13. Danielis, quia horum nulla mentio in antiquis Concilijs, aut Catalogis ſcripturarum, & hiſtoriam Suſannæ reiecit Iulius Africanus apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. De Pauli *Epiſt. ad Hebræos* dubitatum fuiſſe conſtat ex S. Hieronymo in Scriptoribus Eccleſ. verbo *Paulus*, Euſebio lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 3. Sixto Senenſi lib. 7. Bibl. & Caietano in Comment. ad eam Epiſtolam, qui Caietanus dubitauit quoq; de authoritate Epiſtolarum Iacob, Iudæ, & 2. ac 3. Ioannis. Poſtremò de Apocalypſi S. Ioannis ancipites

fuerunt Caius, & Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib.3. Hiſt. cap.28. & lib. 7. cap.23. imò plures Græci adeo vt Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum dixerit, ita Græcos de Apocalypſi dubitaſſe contra communem ſenſum Latinorum; quemadmodum Latinos de Epiſtola ad Hebræos dubitaſſe contra Græcos. Ergo non obſtantibus tot Catholicorum dubijs, potuit Summus Pontifex per ſe, aut per Concilium ab ipſo approbatum ex aſſiſtētia Spiritus Sancti certo diſcernere, ac decernere quinam ſint libri Canonici, & pro huiuſmodi reſolutionibus opus fuit regula viſibili Sūmi Pontificis, quod agnouit ipſe Melchior Cano lib. 2. de locis cap. 6. dicens. *Vt de pluribus taceamus quorum ſimilis omnino cauſa eſt: certè libros Ruth, Eſther, & Iob eſſe canonicos nullo modo ex ipſis Scripturis combrobabitur. Ergo ſi res hæc in controuerſiam veniat, aliunde, quàm ex ſacris literis petenda probatio eſt. Neceſſe eſt igitur huius quæſtionis aliquem præter ſacras literas Iudicem conſtituere.*

CAPVT V.

Diluuntur præcipua obiecta contra Sententiam Numero 3. Expoſitam.

42. PRrimò ſi poſſet Summus Pontifex per ſe, vel per Concilium definire infallibiliter propoſitiones de fide, quæ non explicitè, ſed implicitè tantum continentur in Sacra Scriptura, vel Traditione, ſequeretur eum poſſe nouos articulos fidei condere, & Symbolū Fidei augere. Sed cōſequens eſt abſurdum, & cōtra communem Theologorum, cū D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 7. quos referunt Bellarminus in Apologia pro iuramento fidelitatis, Suarez tract. 1. de Fide ſect. 6. n. 16. Lugo de Fide diſp. 3. ſect. 5. Raynaudus Tomo 10. in corona Aurea Pontificis Veritate 8. & Chriſtophorus Vuega in Theologia Mariana Palæſtra 9. Certam 3. à num. 878. Ergo abſur-

abſurdum quoq; eſt antecedens vnde illud ſequitur.

Reſpondeo negando ſequelam *Maioris*, *& concedendo Minorem* de Articulis Fidei preſsè ac primariò ſumptis, qui ſcilicet vi præcepti Affirmatiui credēdi ſunt de neceſſitate ſalutis cū exercitio actus poſitiui, vel in re, vel in voto. Tales.n.articuli ſunt expreſsi in Symbolo Fidei tradito ab Apoſtolis. Imò hi reducuntur ad duo prima credibilia quæ ante Symbolum Fidei Apoſtolicum credenda erant ab omnibus iuſtificandis, videlicet ad Dei exiſtentiam, & prouidentiam ſupernaturalem, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia ipſe eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Si verò Sermo ſit de Articulis fidei latè, & ſecundariò dictis, qui ſcilicet non ſunt de neceſſitate ſalutis ab omnibus credendi vi præcepti affirmatiui, ſeu per exercitium actus poſitiui, ſed ſolius præcepti negatiui, & quoad ſpecificationem actus, hoc eſt qui, ſi ſufficienter proponantur non ſunt negandi, & quibus non licet diſſentire contumaciter abſq; incurſu in hæreſim, ſi de his inquam ſermo ſit, diſtinguo iterum ſequelam *Maioris*, eamque nego de conditu noui articuli preſsè ſumpto pro creatione noui dogmatis quoad ſubſtantiam nullo modo contenti in Sacra Scriptura, aut Tradione, quo ſunſu concedo iterum *Minorem*. At ſi condere nouos articulos latè accipiatur pro declarare illas propoſitiones, quæ implicitè, & obſcurè continebātur iam in ſacra Scriptura, aut Traditione, & definire quæ certo inde deduci poſſint etiam ſi de hac certitudine ante definitionē Catholici aliqui dubitauerint, in hoc ſenſu concedo ſequelam *Maioris* ſed nego *Minorem*. Hoc ſenſu D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 7. pro fundamento ſuæ Reſponſionis affert dictum S. Gregorij homil a 6. in Ezechielem dicens. *Sed contra eſt quia Gregorius dicit, quod ſecundùm incrementa temporum, creuit Scientia Sanctorum Patrum* &c. Deinde ſubiungit. *ſic ergo dicendum eſt, quod quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei,*

non

non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem, quia quæcunque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum licet implicitè. Sed quantum ad explicationem creuit numerus articulorum: quia quædam explicitè cognita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicitè. Vnde Dominus Moyſi dicit Exodi 6. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Et Dauid dicit: ſuper ſenes intellexi, & Apoſtolus dicit ad Epheſios 3. in alijs generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius, & Prophetis, Neque verò alio ſenſu Scotus in 4. diſt. 11. quęſt. 3 loquens de Tranſubſtantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, definita in Cōcilio Lateranenſi ab Innnocentio iij. dixit Eccleſiam non poſſe quidquid ipſa velit verum, aut non verum conſtituere: ait enim Scotus ibi. *Dicendum eſt quod Eccleſia declarauit iſtum intellectum eſſe de veritate fidei in illo Symbolo Fidei edito ſub Innocentio iij. in Concilio Lateranenſi Firmiter credimus, &c. vbi explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum magis explicitè, quàm habebatur in Symbolo Apoſtolorum, vel Athanaſij, vel Niceno; & breuiter quidquid ibi dicitur eſſe credendum tenendum eſt eſſe de ſubſtantia fidei.* Et paulò poſt acutè, ſed ſolidè pro more ſuo: *Supponendum eſt, quòd Eccleſia eo Spiritu expoſuit quo tradita eſt nobis fides, Spiritu ſcilicet veritatis edocta, & ideo hunc intellectum elegit quia verus eſt: non quòd hunc verum Eccleſia fecerit, ſed à Deo traditū explicauit, directa in hoc vt crederetur, à Spiritu veritatis.* Ita Scotus non minus pius, quam ſubtilis Doctor. Similiter Ioannes Roffenſis Epiſcopus contra procœmium Lutheri de obſcuris, ſed in ſe certis propoſitionibus ſcripturæ aduertit. *Quāquam obſcura fuerat, fuerat nihilominus in ſe certa, licet parum intellecta nobis. Neque enim idem eſt quidpiam in ſe certum eſſe, & eſſe nobis intellectum* &c. *Habent Scripturæ ſuam certi-*

titu-

titudinis firmitatem etiam quum parum cognita fuerint.

43. *Secundò* Obijci poſſet, fore vt Summus Pontifex eſſet ſupra Scripturam, ac Dei verbum, ſi poſſet facere credendum id, ad quod non obligat Dei verbum expreſſum, aut ab expreſſo euidenter deductum. Sed friuola eſt hæc illatio, quia in hoc Papa non obligat tanquam conditor veritatis de fide credendæ, ſed vi verbi Diuini in Scriptura, vel Traditione reuelati, & ſolum ſe gerit, vt iudicem, & deciſorem eorum, quæ in verbo Dei continentur, ſicut nullus legis Interpres eſt legiſlator, aut ſupra legem.

44. *Tertiò.* Obijci poteſt. Si Sum. Pont. poteſt infallibiliter definire nõ ſolùm quinam ſit verus sẽſus Scripturæ Sacræ, aut Traditionis, quãdo non eſt expreſſus in alterutra, aut in Hiſt. Eccleſiaſtica, ſed etiã definire quænam ſit Scriptura Can. aut legitima Traditio, idque vi promiſſionis à Chriſto factæ Petro in Euangelio, ſequitur Fidem Catholicam quoad hanc partem fundari in circulo vitioſo, & ignotum per æquè ignotum proponi tanquam credibile de Fide. Id autem inconueniens eſt, vt patet, ergo & antecedens, vnde illud deducitur *Maioris* ſequela probatur, quià credendum eſt Summum Pontificem habere infallibilem authoritatem docendi, declarandi, definiendi omnes veritates ad Fidem ſpectantes, eo quòd ita Chriſtus in Euangel(ijs) per Matthæum, & Ioannem Euangeliſtas reuelarit. At viciſſim priùs credendum eſt Euangelium Matthæi, & Ioannis, quod extat in vulgatis Biblijs eſſe verum Euangelium Chriſti, & in verbis inde productis contineri talem authoritatem collatam Petro, & Succeſſoribus eius; Ergo idem eſt ſe ipſo prius, & poſterius credendum, & ignotum per ignotum &c. Hæc obiectio ſoluenda eſſet ab auctoribus quoque ſecundæ opinionis. Sed quidquid ipſi, vel alij dixerint.

Reſpondeo negando *ſequelam maioris*, nam ſub diuerſa ratione duo hæc credibilia ſunt priora, & poſteriora. Quando-

doquidem in Analyſi Fidei Catholicæ præcedunt motiua credibilitatis plura, vel pauciora pro conditione, & captu perſonarum, quibus aliquid credendum proponitur per aliquos de Eccleſia: quæ motiua talia ſunt, vt res illa euidenter æſtimetur credibilis, nec prudenter dubitari poſſit, quin ſit diuinitus reuelata. Talia ſunt Probitas, & doctrina perſonæ euangelizantis, aut Catechizantis: Sanctitas legis Immaculatæ nihil non conforme rectæ rationi iubentis, vetantis, conſulentis. Sanctitas aut inſignis reformatio morum in ijs, qui hanc Fidem profeſſi ſunt eiuſq; legem ſeruauerunt. Miracula pro eius veritate patrata ſpecie ſtupenda, & multitudine innumerabilia: Euentus iuxta prophetias impleti; Anachoretarum, & Religioſorum Ordinum vtriuſq; ſexus multitudo ingens, quæ pro bonis inuiſibilibus, & in altera vita ſolum adipiſcendis, bona temporalia ipſoſq; principatus, & regna contempſerunt, aſperimam vitam tranſigendo: Martyrum numerus, ſine numero qui propoſitis ampliſſimis præmijs pro abneganda Chriſti fide, & inde atrociſſimis ſupplicijs, ſi in ea perſiſterent, hæc potius ſuſtinuerunt, & quidem pro Chriſto pauperrimo, & ignominiosè crucifixo, & arduam legem iubente vſq; ad odium ſuæ animæ, & dilectionem inimicorum: Succeſſus prædicationis Euangelicæ non armis, aut ſecularis eloquentiæ, vel ſapientiæ mundanæ vi: Irritus conatus Imperatorum, Regum, ac Principum, aduersùs Chriſtum Dominum, & Hæreticorum, ac Schiſmaticorum contra Eccleſiam Catholicam conſpirantium: Succeſſio Summorum Pontificum in Cathedra Petri nunquam interrupta: Conſeruatio fidei in Succeſſoribus Petri, quæ nunquam defecit: Conſenſus populorum, & nationum politiorum: Congruentia Sacramentorum: Munditia, & Maieſtas ſacrificiorum, cultus Templorum, Harmonia Hierarchiæ Eccleſiaſticæ: Pax demum, & tranquillitas animi cuſtodientium Fidem, & præcepta Chriſti. His motiuis licet non omnibus omnes Fideles

tan-

tanquam certis notis diſcernunt, quænam ſit vera Dei Eccleſia, & conſentanea eius Prouidentiæ. Deindè Diuina gratia adiuti credunt inter alia Euangelium à tali Eccleſia vſitatum, & pro canonico habitum eſſe verum Euangelium, Et ſenſum Euangelij ab Eccleſia propoſitum eſſe verum; ideoq; promiſſiones in Euangelio Matthæi, & Ioannis factas Petro extendi quoque ad Succeſſores eius. Vnde per regreſſum minimè vitioſum iterum credunt Pontificem Romanum Succeſſorem Petri qui Euangelia hæc approbauit habere authoritatem de qua ſupra. Quam Analyſim ex Tertulliano de Præſcriptionibus, Auguſtino contra Epiſt. fundamenti alijſque Patribus oſtenderem ſi Opus eſſet.

Reliquæ oppoſitiones leuiores ſunt, aut iam ſolutæ ſub finem libri 1. & 2. vel facile ſolubiles ex dictis hoc libro tertio.

Ad Maiorem DEI, & DEIPARÆ ſemper Virginis MARIÆ Gloriam, & Obſequium S. Sedi Apoſtolicæ à minima Societate noſtra maximè debitum.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A — Pag.

ALtaris erectio ſupra corpus defuncti fuit ſpecies Canonizationis. 97
Anabaptiſmus Paruulorum damnatus ab Eccleſia 151
Anabaptiſmus baptizatorum ab Hæreticis à quibus introductus, ſed à Summ. Pontif. damnatus. 153
Animæ Iuſtorum purgatæ, ſtatim fruuntur Viſione Beatifica. 151
Animæ Rationalis Origo olim incerta, non eſt ex traduce. 150
S. Antonij Patauini Canonizatio. 30
S. Antonini Canonizatio. 41
Apocalypſis liber an ſemper fuerit Canonicus. 157
Aſſumptio B. V. in Cœlum certiſſima ex Feſto eius. 106 & 112
Auctores pro Canonizatione Sanctorum certa de Fide. 12 & 17

B

BAptiſmus ritè ab Hæreticis collatus, valet. 153
Baptiſmus flaminis, fluminis, ſanguinis. 152
Baptiſmus Paruulorum validus, & non ſine infuſione habituum ſupernatur. 152
Baruch liber olim an Canonicus. 157
Beatificatos eſſe in Gloria an ſit de fide. 95
S. Bennonis Canonizatio. 40
S. Bernardi Abbatis Canonizatio. 27
S. Bernardini Senenſis Canonizatio. 37
S. Bonauenturæ Canonizatio. 39
S. Brigittæ Canonizatio. 36

C

CAnonizatio omnium antiquiſſima. 25
Canonizationũ raritas, & tarditas. 72
Canonizationis Sanctorum multæ ſpecies. 95
Canonizatio eſt vna de Maximis cauſis ad Papam ſpectantibus. 64
Canonizatio Sanctorum quare reſeruata Papæ. 13. 62. 63
Canonizatio Sanctorum non poteſt à Papa delegari alijs. 18. 19. 63
Canonizatio Sanctorum pertinet ad Fidem à p. 6. ad 24. & p. 30. 47. 60. 61
Canonizatos à Sede Apoſtolica eſt de fide Sanctos eſſe & in Gloria, à p. 12. ad 94.
Canonizati in Terra, ſunt Canonizati in Cælo. 28. 29. 34. 75
Canonizatos firmiter credendum eſt eſſe Sanctos, & in Gloria ex Cœleſtino III. p. 25. & Honorio III. p. 30. & Vrbano IV. p. 34. & Clemente V. p. 35. & Ioanne XXII. p. 36. & Nicolao V. p. 38. & Calliſto III. ibid. & Sixto IV. p. 39. & Adriano VI. p. 41. & alijs Pontificibus. p. 59
Canoniſtarum aliquot, & aliorum falſa opinio de Canonizatione Sanctorum. à pag. 1. & 75
S. Caroli Borromæi Canonizatio. 44
Caroli Magni Canonizatio qualis. 21
S. Catharinæ Senenſis Canonizatio. 38
S. Claræ Canonizatio. 33
Communio ſub vtraq; ſpecie olim Laicis indulta, & poſtea vetita. 155. & 156
Communio ſub vna ſpecie in primitiua Eccleſia vſitata. 154. & 155
Communio ſub vna ſpecie ſufficiens ad ſalutem. 156
Conceptionis B. V. feſtum à Sede Apoſt. inſtitutum, eſt argumentum certum Præſeruationis à peccato origin. à p. 100 ad 112.
Conceptio B. V. Immaculata definibilis eſt. 138. & 139
Concilium ſine Papa nõ eſt infallibile. 26
Concilium primum quare congregatũ. 147
Concluſio Theologica, an ſit de fide. 102. & 120.

D

S. DIdaci Complutenſis Canonizatio. 42
Diligentia Papæ non neceſſaria ad validitatem Definitionum. 92
S. Dominici Canonizatio. 31

E

S. EAdmundi Canonizatio. 31
S. Eduardi Regis Canonizatio. 27

S. Eli-

S.Eliſabethæ Hungaricæ Canonizatio. 31
S.Eliſabethæ Luſitanæ Canonizatio. 45
Eliſæi Oſſa ſuſcitant alterius cadauer. 90
Erroris practici, ac ſpeculatiui differentia. pag. 1. & 57.
Eſther liber, an olim Canonicus. 157

F

Feſtum Inſtitutum à Sede Apoſt. eſt inſtar Canonizationis. 97
Feſtum à Sede Apoſtolica non inſtituitur niſi pro Perſona, vel re Sancta coram Deo. à pag. 102 ad 113.
S.Franciſci Aſſiſinatis Canonizatio 29
S.Franciſci de Paula Canoniz. 40
S.Franciſcæ Romanæ Canoniz. 44
S.Franciſci Xauerij Canoniz. 45

H

Hæretici ritè baptizantes validè baptizant. 153
S.Heduigis Canoniz. 34
S.Henrici II. Imperatoris Canoniz. 26
S.Homoboni Canoniz. 28
Hoſtiam conſecratam an ſit de fide validè eſſe conſecratam in Indiuiduo. 85
S.Hugonis Epiſc. Gratianopolit. Canonizatio, 26
S.Hyacinthi Canonizatio. 42

I. K.

S. Ignatij Loiolæ Canonizatio. 45
S.Io.Gualberti Canoniz. 28
S.Iſidori, Agricolæ Canoniz. 45
Iudith liber an olim Canonicus. 157
S.Iuonis Canoniz. 30
Kalendarij Eccleſiaſtici Sancti an infallibiliter Sancti. 97

L

S. Laurentij Dublinenſis Canoniz. 29
S.Leopoldi Principis Canoniz. 39
Litaniæ Eccleſiæ veros Sanctos continent. pag. 97
S.Ludouici Regis Franc. Canoniz. 34
S.Ludouici Toloſani Canoniz. 35

M

Machabæorum liber olim apud aliquos non Canonicus. 157
Martyrologium an omnes infallibiliter Sanctos contineat, 98. & 99
Miraculorum verorum & falſorum diſcrimen. 28. 29. 67 76.
Miracula ſunt motiuum credibilitatis fidei. 29. & 67
Miracula poſt mortem maiorem vim habent. 68.77.78
Miraculorum donum ad teſtificandum falſum non conceditur. 80 & 81
Miracula poſt mortem, pro infallibili Dei teſtimonio de Sanctitate Perſonæ agnouere Alexander iij. pag. 27. Innocentius iij. p. 29. Gregorius ix. p. 29. & 30. Honorius iij. p. 30. Innocentius iv. p. 32. & 33. Vrbanus iv. p. 33. Clemens V. p. 32. Io. xxii. p. 35. & 36. Pius ij. p. 38. Innocentius viij. p. 39. vide etiam p. 57. & 59.
Mors Sanctor. quare Natalis dicatur. 104

N. O.

Natiuitas B. Virginis infallibiliter Sancta, quia eius Feſtũ celebratur à Romana Eccleſia. à pag. 105. ad 110.
S.Nicolai Tolentinatis Canoniz. 37
Oratio pro Sanctis non fit. 90. & 106.

P

PAPA eſt ſupra Concilium, 26
An & in quibus qq. facti errare poſſit. 2. 13 19 83.
Solus poteſt Canonizare Sanctos, nec alijs id delegare poteſt. 13. 18. 19. 62. 63.
Errare non poteſt in Canonizatione Sanctorum, ne ſpeculatiuè quidem, probatur auctoritatib. à pag. 6. ad 24. & rationibus. à pag. 46. ad 72.
Placatè, & abſolutè certus eſt de Gloria Sanctorum, quos Canonizat. 28 29. 30. 32. 33.
Non Canonizat niſi præuio inſtinctu, & quadam reuelatione occulta Spiritus Sancti. p. 28. 40. 42 43. 44. 45. 52. 53. 65.
Non nititur teſtimonio humano in Canonizat. Sanctor. tanquam motiuo formali. 52 61. 62.
Sed aſſiſtentia ſibi promiſſa ne poſſit errare, ac teſtimonio diuino. 51. 74. 75. 89.
Non priuaret Sanctos defunctos ſuffragijs fidelium, niſi certos eſſet de illorũ Gloria. 49. 76. 90. 117.
Non indiget diligentia ad validitatem Definitionum ex Cathedra. 22. & 92.
PAPA poteſt omnia dubia ad Fidem, Religio-

ligionum, & mores decidere, licet implicitè tantum incluſa in Dei verbo. a pag. 123. ad 160.
An, & quomodo poſſit nouos Fidei articulos condere. 84. 158. 159. & 160.
Papales formulæ indices definitionis ex Cathedra 54. 56 & 69.
PAPA nullus hactenus in Fide errauit, vide Epiſt. Dedic. p. 4.
Paſchatis celebrandi controuerſia eiuſque Deciſio. 149
S. Petri Anagnini Canonizatio. 26
S. Petri Martyris canoniz. 31
S. Petri de Murone canoniz. 35
S. Philippi Nerij canoniz. 44
Præcepti affirmatiui, & negatiui diſcrimen. pag. 94
Præſeruatio B.V. vide Conceptio.
S. Procopij canoniz. 29
Purgatorij dogma certum ex canone Miſſæ. 104.

R. & S.

S. Raymundi canonizatio. 43
Reliquiarum approbatio à Sede Apoſt. an ſit quædam canoniz. 97
S. Richardi canoniz. 33
Sacerdotis Summi Iudæorum authorit. 141
Sanctorum canoniz. vide Canonizatio.
Sanctos iam purgatos frui Viſione beatifica definitum eſt. 151
Scriptura Sacra diuerſis interpretationibus obnoxia. 124. 145
Scripturæ Sacræ libri Canonici nunc; licet aliqui in dubium olim reuocati. 156. 157
S. Stanislai canoniz. 32
S. Suiberti canoniz. 25
Suſannæ hiſtoria in Daniele, olim an Canonica. 157

T

S. Tereſiæ canonizatio. 44
S. Thomæ Aquinatis canoniz. 36
S. Thomæ Cantuarienſis canoniz. 27
S. Thomæ Herfordienſis canoniz. 35
S. Thomæ Villanouani canoniz. 46
Tobiæ liber olim dubium an Canonic. 157
Traditionis vis, & regula fidei. 68. 123. 124

V

S. Valdi canoniz. 28
S. Vdalrici canoniz. 25
Velum Virginum Viduis non dandum. 107
S. Vincentij Ferrerij canoniz. 38
Vota Simplicia Societatis IESV cõſtituunt verè Religioſos. 11. & 73.



Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
1	29	qua	qui
5	23	referendis	referendos
7	22	curra	curia
25	31	Ordo Ioannes	Ioannes
26	25	Henrici I.	Henrici II
33	12	Agnaniæ	Anagniæ
73	4	eum	cum
93	23	Chriſtiana	Chriſtianam
95	18	Ordine	Ordini
96	10	declito	delicto
96	14	prædiuit	prædixit
121	24	*pænnalibus*	*pænalibus*
125	18	Opinion	Opinioni
126	26	poſint	poſſint
127	24	meduim	medium
129	6	*cicumuectione*	*Circumuentione*
130	6	reueluuerit	reuelauerit
133	8	Salmaticenſis	Salmanticenſis
137	10	Summus	ſumus
142	1	iudicare	iudicaret
144	2	talem	vlli

620 301

3013

BIBL
VA